

R.K. 435, 44

X 1880 935

DE

RE MONETALI
VETERVM ROMANORVM
DISSERTATIO.

Quam,

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPHORO
WAGENSEILIO,

J. V. D. & Juris Publici ac Orientalium
Linguarum Professore,

in solemnī Disputatione tuebitur

RESPONDENS

PHILIPPVS JACOBVS REICHARTVS,
ARGENTORATENSIS.

ALTDORFI NORICORVM,

a. d. XXVIII. Aprilis

A. M DC XCI.

Eam excudit

HENRICVS MEYER,
Acad. Typogr.





DE
RE MONETALI
VETERVM ROMANORVM
DISSERTATIO.

CAPVT I.

Vocis Moneta Etymologia, & Definitio. Apud primos mortales permutatio rerum obtinebat. Ejus incommoda; Moneta in vicem utilitas. Vix credibile est, Judæos Christianorum sanguine facere mysteria. Causa, quare hujus criminis insimulentur. Argento & Auro usus bonus est. Moneta apud Romanos inter Numina culta. De Numis, qui illam Divam referunt, & de ejus Templo.



ONETAM, quod bene vortat! *ἀνευ προνομίης*, quia character ejus, de Autore, & Pretio suo nos commonet, cum vulgo Grammaticorum, a *monendo* nomen invenisse, arbitramur. Definimus, cum Paulo Jcto in l. i. D. de contr. empt. *Materiam, forma publica percussam, usum dominiumq;* non tam ex substantia præbentem, quam ex quantitate.

rate. Sive, ut pressius extulit vetus Aristophanis Scho-
 liastes : Ἔστι τὸ πύμμα τῶν πετυπωμένων χαλκῶν, ἢ χρυσῶν. Cæ-
 terum, ipsa res, quæ isto Nomine, quæ utraque hac De-
 finitione significatur, jure bono in earum censum referri
 meretur, quæ cœlestis Providentiæ instinctu, in totius
 humani generis salutem, quondam fuere repertæ, & sine
 quibus vita hæc civilis, ad quam nati, factiq; omnes su-
 mus, commode traduci nequaquam posset. Sane, ve-
 rustissimos mortalium, ecquid rei Moneta sit, penitus
 ignorasse, & sicubi alii cum aliis contraxerant, Numo-
 rum loco ipsas merces, quas mutuo permutabant, ad-
 hibuisse, minime diffitemur. At, hanc rerum commuta-
 tionem, adaucto deinde in immensum, perq; hoc univer-
 sum disperso humano genere, aptum fuisse medium, ut
 per eam cognationis illius, quam inter nos Natura insti-
 tuit, jura conseruentur, imo, ut vel ejusdem Urbis cives
 inter sese faciant commercia, id enim vero negamus acerri-
 me. Nimirum, cum tuendæ ejus, de qua diximus, inter
 homines societatis causa, *mobilis ac inquietam mentem ac-*
ceperimus, quæ nunquam se tenet; spargitur, & cogitationes suas
in omnia nota atq; ignota dimittit, vaga & quietis impatiens, &
novitate rerum letissima: inde fit, ut insit animis nostris,
 naturalis quædam commutandi sedes irritatio, & ut opti-
 mus quisque, peregrinandi, hocq; universum, quod ani-
 mo & cogitatione tanquam suum complectitur, lustrandi
 voluptate, summopere trahatur. Incassum autem ple-
 rosque (fere dixerimus, omnino omnes) fodicaret iste
 stimulus, si ne in proximi quidem suburbani diversorio
 aliter pernoctare quis posset, quam ut bovem aut capram,
 funiculo alligatos, pro viatico secum traheret; & γὰρ
 εὐβοιωτικὸν ἕκαστον τῶν κτ' φύσιν ἀναγκάων, ut ait Philosophus
 I. Pol. c. 9. Et jam Divinus Plato in 5. de LL. pruden-
 tissimo consilio statuit, proficuum futurum, si, propter
 pere-

Seneca con-
 sol. ad Helv.
 c. 6.

peregrinationes Reip. causa, commune per universam
 Græciam cuderetur numisma. Porro, cum, legis i. D. de
 de contr. empt. effato, non semper eveniat, ut, quod alteri su-
 perest, alteri desit: nec facile concurrat, ut, cum tu haberes, quod
 ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles:
 quanta molestia, quanta sollicitudine hic opus erit, quo
 eum denique pervestigas, qui tibi inutilibus indigeat,
 tuis autem usibus profuturis plus satis abundet? Imo
 finge, non in istis admodum laborandum esse, jam in per-
 mutandis rebus ea circumspexio & solertia requiritur,
 cui ne decimus quidem sufficit. Cum enim inter res ejus-
 dem speciei pernimum sæpe intersit, & vinum a vino,
 servus a servo, a pecore pecus, vehementer distent, et-
 iam astutissimus quisque, qui cavet ne decipiatur, vix ca-
 vebit, cum cavet, etiam cum cavisse ratus est, sæpe is
 cautor captus erit. Ne autem longe rerum harum testi-
 monia arcessamus, ipse Senatus Romanus dictorum fi-
 dem comprobat. Primis enim Reipub. temporibus, ut est
 apud Agell. l. ii. Noct. Att. c. i. qui minora admiserant de-
 licta, Ovibus duobus (more prisco, cum de poena sermo
 est, vox *Ovis* virile genus assumit) mulctabantur; qui
 majora, pro armentosissima tum Italia, luebant bobus
 triginta. Sed dies docuit, hanc mulctam pecoris armentiq;
 a Magistratibus dictam, magno esse obnoxiam incommo-
 do; quippe boves ovesq; alias parvi, alias majoris pretii
 adigebantur, atque sic inæqualis fiebat tota mulctæ pu-
 nitio: ideo lege Ateria constituti postea sunt in oves singu-
 las æris deni, in boves vero, æris centeni. Ecce tibi ra-
 tionem, qua, ob pecorum mulctam, inæqualitati, in pen-
 dendis pro delicto poenis, obviam itum est: ecce malo-
 rum omnium, quibus Permutationem laborare ostendi-
 mus, remedium. Nam, Moneta *γίνεται πως μέτρον, πάντα γὰρ* Arist. 5.
μετρεῖται. Hæc ad æqualitatem omnia reducit; hæc rerum Eth. c. 5.
 pretia



pretia exacte definit; hanc, modo proba sit, omnes humaniores populi admittunt; hæc, sine magna molestia, ubi-
vis gentium potest circumgestari; denique, circa hanc,
cum tot legum sanctionibus sacra & sancta sit, haud teme-
re fraus committitur.

Ergo, cum tanta sit Monetæ inter mortales Utilitas,
ac Necessitas, non absurde Timocli, apud Stobæum, ἄργυ-
ριον dicitur αἷμα ἢ ψυχὴ βροτῶν, sive, Sanguis & Anima homi-
num. Ut enim corpora nostra, sine Spiritu ac Sanguine,
erigere sese, aut munera sua obire neutiquam possunt; ita,
simili ratione, nec facile emergunt, nec res graves gerere
ii sustinent, qui nihil in ære habent. Proinde scite Judæo-
rum Magistris eadem voce דָּמִים *Damim*, quæ alioqui San-
guinem Hebraice notat, etiam Pecuniam appellitare visum
est, ut æque parum hac, quam illo, hominem, qui sanus
& salvus esse vult, carere posse, facerent indicium. At-
que, (ut ex occasione obiter id moneamus) ex ista homo-
nymia, nisi penitus fallimur, originem traxit illud trala-
titium, *Judeos Sanguinem Christianorum avide expetere*. Pe-
cunia enim est ille Sanguis, quem Judæorum natio tan-
topere sitit, quem ut e Christianis eliciat, nihil techna-
rum, nihil dolorum intentatum relinquit: minime omni-
um autem alter, qui ἐκ τῆς καρδίας ἐπιχετεύεται εἰς τὰς φλέ-
βας; etsi viri non inepti, & ipsi adeo Hebræi, nostri Prose-
lyti facti, contrarium in literas retulerunt: addentes, Ju-
dæos, quando Sponsa in thalamum Sponsi adducitur; aut,
quod aliis placuit, quando solemnis a Sacerdotibus recita-
tur benedictio; vel, ceu quidam prodidere, cum Puerperæ
laborant e dolore; vel denique, quæ communis est opi-
nio, eos, cum jamjam infelicem spiritum exhalaturi sunt,
Christianum sanguinem, pro piamento, adhibere. Næ
enim totum hoc falsum, vanum & frivolum est, & ex
ignoratione mera nominis æquivoci *Damim*, per im-
peri-

Aristot. 3.
de partib.
c. 4.

peritiam, in publicum sparsum. Nos interea loci, e brevi diverticulo, in viam redeunt, iterum iterumq; profiteremur, nihil in communi hominum societate Moneta esse utilius, & Solem ac Lunam e mundo tollere videri, si quis Auro & Argento (quæ illis ipsis Principum Planetarum nominibus Chymicis censentur,) uti mortales prohibeat. Neque nos movet, gravissimi cæteroquin Scriptoris, Plinii autoritas, ut a recepta sententia discedamus: nam is quidem l. 33. Nat. hist. c. 1. fumini votis exoptat, ut *Aurum, quippe proficissimum convitiis ab optimis quibusq;, & ad perniciem repertum, queat in totum e vita abdicari; contra vero felicissimum illud ævum reputat, in quo res ipsa inter se permuebantur.* Nempe, si recte rationem ineamus, nullum profecto ipsi Argento vitium est, sed, quicquid ei tribuitur, id omne extrinsecus accedit. Sunt enim, ut vere Comicus ait, *Divitiæ perinde, ut illius animus, qui eas possidet: qui uti scit, ei bonæ; qui non utitur recte, ei malæ.* Constat e divinis literis clarissime, non auri sacram famem primas inimicitias inter mortales sevisse; non pecuniam gratiam inter fratres sustulisse, & per ultimum scelus hos eo progredi fecisse, ut alter alteri manus inferret. Bella gerebantur, urbes & agri defolabantur, latrociniis famosa nemora erant, ære, auro, argento etiam nondum signatis. Quare, uti nemo homo astris destitui coelum volet, quia, præter benignos, etiam noxios influxus in inferiora demittunt: quemadmodum Ferri usum nequaquam sublatum cupimus, etsi spicula, enses, tela, cæteraque torquendi & necandi homines instrumenta, ex eo confiunt: Ita pecuniam nullus reprehendat, ut ut maxime alii, per fas & nefas, eam corradunt; alii ad summam perniciem illa abutuntur.

Scilicet, quia, secundum elegans Menandri dictum:

Μακάριος ὁ σὺς ἔστιν ἢ πῶς ἔχει.

hoc unum restat, ut nos ipsos, & hunc corruptum corrupto-



ruptoremque animum accusemus pariter ac emendemus: nam, Monetæ nihil vitii relictum est, quippe, quæ apud Romanos (male igitur Plinius mores institutaq; Majorum reprehendit) etiam inter Fausta Numina locum reperit, ipsaq; Jovis & soror, & conjux, hoc cognomen non est dedignata. Præterquam enim quod Arnobius l. 3. cont. Gent. *Pecuniam, velut maximum Numen, Romanos coluisse*, testatur, extant quoque Numi longe plurimi, in quibus MONETA DEA, stans erecta, manu sinistra cornu Amalthææ, dextra vero bilancem tenens, fere in habitum Æquitatis figuratur. Quo ipso indicavit Vetustas, non otiosam desiderare Pecuniam, sed modo huic, modo illi, modo isti accedere; largiri præterea eam omnia bona mortalibus, & nihil non numis esse parabile. Bilanx vero in memoriam revocabat, quondam apud Romanos æs fuisse appensum; quin & æqualitatis nota erat, quæ in ejusdem generis Numis, etiam sub diversis Principibus cufis, ad amissim observabatur. Hoc autem, quo diximus, modo, in Hadriani, Antonini, Caracallæ, aliorumq; Numis, hæc Diva exhibetur, cui superscriptum: MONETA, vel MONETA AVG. Nos quoq; Constantii Numum possidemus, in cujus altera parte imagini Principis, CONSTANTIVS NOB. CAES. in altera vero, effigiei Monetæ additur: SACRA MONETA AVGG. ET CAESS. NOSTR. Reperiuntur insuper T. Carisii, qui sub Augusto Triumviratum Monetæ gessit, Numi, qui, prorsus, caput Deæ monstrant, cum voce, MONETA; aversi, Vulcania instrumenta, Incudem, Malleum, ac Forcipem, cum pileo laureato. Tandem, trina quoq; Diva, in numis Severi, Valeriani, Floriani, & Diocletiani conspicitur, quarum quæq; acervum Pecuniæ propter pedes habet, quibus triplicem Numorum materiam, Æs, Argentum, Aurum, indicatam fuisse, dubitare nemo potest; ut ita non

non tantum Moneta, quasi quædam suprema Diva a Romanis culta sit, sed etiam Æri, Argento, & Auro, suum cuiq; fuerit attributum Numen. Cæterum, DEÆ MONETÆ, in tertia Urbis Regione, a L. Furio Camillo Dictatore, devictis Auruncis, templum fuit conditum, in area montis Capitolini, ubi quondam M. Manlii domus fuerat. Docet omnem rem Ovidius 6. Fast.

*Arce quoq; in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto, memorant, facta, Camille, tuo.
Ante domus Manlii fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino repulit arma Jove.*

CAP. II.

Dissensus profanorum Scriptorum circa Monetæ autorem. Eius discrepantia ratio redditur. Ante Diluvium universale vitam agentibus, incognita fuit Moneta; frustra, ejus inventorem quidam prædicant Cainum. Vox Pecunia quo sensu accipiatur. De libro Prontuario delle Medaglie judicium. Quis occasionem initiumq; dederit studio Rei Numariae. Thubalcainum primum ferrum tractasse, asseritur adversus R. Salomonem Jarchi. Adamus, prolapsus a primeva felicitate, non habebat omnium artium notitiam.

Momenta temporis, quo primitus Moneta apud mortales introducta, quisq; illius cudendæ autor fuerit, definire nequaquam licet; cum ista omnia profundis oblivionis tenebris sint immersa. Conantur aliquid dicere Scriptores Gentiles; sed, cum vehementer alii aliis contradicant, postquam eos consuluit Lector, incertior est multo, quam dudum. Herodotus l. i. in Asia *Lydos* principio numum argenteum & aureum signasse scribit: at Strabo l. 6. *Phædoni* decimo ab Hercule; Ælianus l. 12. Hist. Var. c. 10. *Æginetis*; Pollux, *Erichthonio*, quarto Atheniensium Regi, Vulcani filio; alii *Naxiis*; *Phænicibus* alii id referunt acceptum. Ab his omnibus dissentit Lucanus

B

l. 6.

l. 6. Pharfal. qui credi sibi postulat, quod *Itonus*, (hoc enim nomen merito apud Poëtam restituit Doctissimus Grotius, vulgo Jonus legitur, quam lectionem incogitans admisit ipse etiam Lipsius in Libellum de Re Numaria p. 5.) Theſſaliæ Rex, omnium primus,

*In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis, aurumq; moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.*

Nimirum, assentimur Viro, inter præcipua seculi ornamenta numerando, & quem mortuum etiam suspicimus, Joh. Henrico Bœclero, Dissert. Acad. p. 514. assenti, *Sæpe factum esse, ut, qui aliquid adjecisset poliendæ arti, aut in ea commutasset, autor totius rei celebraretur: itemq; si quis ex hac gente in aliam primus intulisset artem. Ad illum modum propagandi artes ex gente in gentem, accessisse postea ambitionem gentium, dum sibi quæq; vendicat inventionem & inventores rerum, ne aliunde accepisse videatur.* Enim vero, nobis, quid de inventionem Monetæ animi sit, si dicere fas est, jam illud statim verisimile fit ac verum videtur, quod, qui ante Diluvium vixere homines, Monetæ penitus caruerint, cum ad inducendam, ut aliter credamus, mentem, nulla nos compellat ratio. Non igitur assentimur Polydoro Virgilio, qui, l. 2. c. 20. de Rer. Invent. *Cainum Monetæ repertorem credidit*, persuasus autoritate Josephi, a quo l. 1. Antiq. Jud. c. 3. Cainus describitur, tanquam *αὐξων τὸν οἶκον πλείθινον χρημάτων ἐξ αἰρπαγῆς καὶ βίας, πρὸς ἡδονὴν καὶ ληστείαν τὰς ἐντυγχάνοντας ὁρρακαλῶν.* Huic addi potest locus, e MS. Græco Bibliothecæ Christianissimi Galliarum Regis, quem magnæ eruditionis vir, Ismaël Buljaldus, Joh. Baptistæ Peyerio, ceu iste l. 3. de Præadamitis c. 3. profitetur, indicaverat, cujus verba, quæ non nisi Latina exhibuit Peyerius, ita habent: *Cum vero multum itineris confecisset Cain, in quendam locum Cainan appellatum venit, omniaq; scelerum*

levum genera patravit, praterentes ex insidiis invadens, & occidens. Ex quorum spoliis ingentem pecuniarum summam conflavit. Cæterum, quicquid de ipsa re fuerit, cui nec demimus, in præsentia, nec addimus fidem, tamen si maxime omnia ita evenisse concedamus, non statim consequens est, illo χρημάτων aut Pecunia nomine, Numos signatos esse intelligendos. Nam, secundum tritum Aristotelis 4. Nicom. c. I. χρηματα λεγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομισματι μετρεῖται, hoc est, ut Ulpianus in l. 178. de V. S. videtur ὡς φησὶν: Pecunia verbum non solum numeratam pecuniam complectitur: verum omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora: nam, corpora quoque Pecunia appellatione contineri, nemo est qui ambigit. Neque moratur nos admodum liber, Pronuario delle Medaglie inscriptus, in quo Adami, Evæ, Noachi, Semi, Chami, & Japheti, quasi quidam numi exhibentur; etenim hos, aliosque bene multos, ex ingenio depromptos esse, ne ipsa quidem Præfatio dissimulat. Scilicet, quod notandum, primus omnium Leo X. Pontifex propositum cepit, de exhibendis in libello veteribus quibusdam numis, ut ex iis clarorum virorum imagines liceret cognoscere; usus in ea re Andrea Fulvii opera. Qui liber, cum ob argumenti novitatem multos reperisset emptores, non tantum Romæ sub Clementis VII. & Pauli III. quoque Pontificatu, sed & in Gallia ac Germania fuit recusus. Tandem autem in nova editione, quæ Lugduni Gallorum A. 1553. apud Wilhelmum Rovillum prodiit, supplevit nonnemo, pro arbitrio, multas, quas in Pontificis libello non reperiebat, icones, & insuper ab ipso mundi primordio eas repetendas censuit; præpostero sane, & parum laudabili consilio. Ceu igitur diximus, eos, qui ante cataclysmum universalem Orbem inhabitaverunt, homines, sine Pecunia vitam traduxisse, credimus. In Sacris enim Literis, quæ solæ illius ævi genuinam memoriam conti-

136
 nent, altum de Moneta ejus temporis silentium; & quod ad Cainum imprimis attinet, ne vel ad speciem quidem, quicquam ex iis produci potest, quo, numos ab eodem fuisse conflatos, ostendatur. Imo, alia omnia potius vera fuerint; quippe, cum Gen. 4, 22. *Thubalcain malleator & faber in cuncta opera æris & ferri* memoretur: Ea verba, cum plerisque Antiquis & Recentioribus Interpretibus, sic accipimus, ut iisdem, ante hunc natum, nullum ferri, ærisque usum mortalibus cognitum fuisse, indicari arbitremur. Equidem non ignoramus, R. Salomonem Jarchi ita locum interpretari, quasi Moses dicat, pridem a Caino æs ferrumque tractandi artem magis magisque a Thubalcaino fuisse excultam. Verum, cum, insuper habitis textus verbis, quæ non obscure nostræ favent sententiæ, in nomine Thubalcaini mysterium, vel nodum potius in scirpo quærat, ad Logicorum Scholas ablegandus venit, quo discat, elumbe esse argumentum, quod vocis *ετυμων* suppeditat. Similiter, nec multum deferimus R. Menasse Ben Israëlis opinioni, qui de Fragil. Hum. p. 1. §. 4. n. 3. perhibet, ab ipso *Adamo* omnes Artes, & nominatim Ferrarias fuisse repertas. Nos enim, contra reputando, fidenter asseveramus, voluisse æternum Numen,

Ut varias Usus meditando extunderet Artes.

Nempe illa, quæ, post lapsum, Protoplastum miserum occupavit ignorantia & intellectus hebetudo, non videtur admisisse, ut simul & semel omnes Artes, omnes Disciplinas, ex se genitis proderet, atque e vestigio sciret, eundem esse,

In viscera terra,

Quæq; recondiderat, Stygiisq; admoverat umbris

Natura, Æs, Ferrumque inde eruere oportere; nam, ne quidem modum parandi vestes, sibi relictus, excogitare poterat,

erat, sed, folis arborum foliis, male nuditatem obtegens, ut ipse Deus magister præiret, ac vestimentorum conficiendorum rationem eum edoceret, opus utique habuit.

CAP. III.

*De Origine Monetæ nostræ conjectura. Num primus Thara hanc pro-
cuderit, incertum est. De Abrahami aliorumq; vetustissimorum
Hebræorum numis. Monetæ usus paulatim apud gentes invaluit.
Ea carent etiamnum multi populi.*

Post liberatum a sui submersione Orbem, jam mature Monetam introductam esse opinamur, & quidem paulo post illud tempus, quo, linguarum a Deo hominibus immissa confusione, per omnes Mundi plagas, fere illi dissipati. Scilicet, cum e medio tolleretur id, quo omnes hæctenus æqualiter utebantur, *sermonis commercium*, & quisq; qua data via, sedes domiciliumq; sibi quæreret; illud alterum *Numorum* mortalibus indulgere voluit Divina Misericordia, cujus beneficio, etiam immenso terrarum intervallo a se sejuncti homines, mutuo tamen negotiationes exercere, & tum indigentia suæ subvenire, tum vero imprimis memoriam & jura communis originis conservare possent. Proinde in eo ipso loco, in quo cœpit sejunctio hominum & dispersio, remedium quoque, conservandæ qualiscunq; inter diffitos conjunctionis ac familiaritatis, initium sumpsisse nobis videtur. Cui, forsitan non ineptæ, certe piæ conjecturæ, occasionem dedere ipsæ Sacræ Literæ, quæ, haud multo post linguarum confusionis historiam, primam Monetæ, & quidem ab *Abrahamo*, viro, qui Chaldæam habuit patriam, tractatæ, Gen. 17. mentionem faciunt. Atque, in generali hac temporis locique, circa Monetæ originem, designatione nos libenter acquiescimus; nam, quo nomine censeatur

is, qui primus Monetæ fabricandæ autor fuit, & quibus adjuutoribus manum, Deo cum propitio, tanto operi admoverit, id quidem ignoramus; imo & illis, qui se id scire profitentur, cras aurem porrigimus, hodie non item. Limnæus enim l. 3. Jur. Pub. c. 2. n. 60. quendam Hippolytum Riminaldum citat, qui *Tharam* Abrahami patrem, primum Monetam cudisse perhibuit. Ex Alberici quoque de Rosate Dictionario, in verbo *Moneta*, hæc nobis producit verba: *Reperi in quadam Scriptura cujusdam magni Religiosi, Ordinis Fratrum Eremitarum, super Passione Christi, quod illi xxx. Denarii argentei, quibus Judas tradidit Christum Salvatorem & Redemptorem nostrum, fuerunt primi Denarii, qui fabricati fuerunt in mundo, quos Thares, pater Abrahæ, optimus faber, ad petitionem Regis Ninive Nini, filii Beli, fabricavit: deinde per multas manus pervenerunt ad Corbonam Pontificum Judæorum.* Scilicet, sine idoneis argumentis ista tradentibus impune fides non habetur: Et nos ne suspicari quidem satis possumus, unde hæc de Thara invaluerit opinio; nisi forte, quod Rabbini in *Jalkut* p. 17. col. 1. prodiderunt, *Tharam idolis vendendis questum exercuisse*, ansam aliquam præbuit, ut sicut hi statuas ab illo sculptas volunt, ita isti eundem numos cudisse comminiscerentur, ob affinitatem artium. Interea loci certum est, ignorare Judæos Tharæ numos; ab Abrahamo autem ejus filio aliquos cufos esse, constans illorum est opinio. Unde in *Talmud Bava Kama* c. 9. in hanc sententiam legitur: *Numi Abrahami ab una parte habebant formam Senis & Anus, ab altera Juvenis & Puella.* Ibi Glossa R. Salomonis, Senem de Abrahamo, Anum de Sara, juvenem de Isaaco, & Puellam, de Rebecca, capere nos admonet. Atque ejus commatis Numus a nobis quoque possidetur. In *Bereschit Rabba parascha* 39. huc pertinentem locum Latine sic interpretamur: *Quatuor omnino Judæi suis nominibus Monetam notarunt:*

runt: *Abrahamus; cujus numi ab altera parte habebant imagi-
nem Senis & Anus, ab altera Juvenis & Puella: Josua; cujus pror-
sa Moneta Bovem, aversa, Unicornem exhibuit: David; cujus pe-
cunia Pedum Peramq;, & si verteretur, Turrim prae monstrabat: De-
niq;, Mardochai, qui una superficie cinerem saccumq;, vel, ceu aliis
placet, suam imaginem; in altera autem Coronam; vel, quod qui-
dam opinantur, Estheris effigiem, signare jusserat. Sed, ista cum
cura pensitandi alio die dabitur opportunitas.*

Moneta, cum illo, quo diximus, modo, primum adin-
venta esset, non tamen eadem statim promiscue apud om-
nes gentes fuit introducta. Si enim Chaldaeum, LXX.
& Veterem Interpretem sequimur, ipse Jacobus partem
agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor, patris Si-
chem, centum agnis redemit, Gen. 33, 19. Idem tamen, cum
in Aegypto annona paranda esset, Pecuniam adhibuisse
legitur lib. eod. cap. 42. Nempe, sic de omnibus Artibus
sefe res habuit, ut diu ibi consisterent, ubi coeperunt, at-
que a suis tantum Autoribus tractarentur: ex intervallo
postea, & utilitate ac commodo earum probe perceptis,
alii etiam animum ad illas adjunxerunt; ut sic paulatim,
primum ad vicinas, deinde, successu temporis, ad remo-
tiores etiam gentes, pervaderent. Et vero, non adeo mi-
rum est, primis illis initiis non passim Monetam fuisse re-
ceptam; cum etiam nunc tam ab humanitate alieni repe-
riantur populi, ut Moneta aut nulla, aut efficta ex ineptis-
sima ad eam rem materia, utantur. *Apud Colchos argenteum
numum norunt pauci, aureum pauciores, habent fere nulli.
Argento is unus honos est, ut, si quod e peregrinorum commercio
redactum est, id omne ad usum templorum transferatur, crucibus
aut calicibus, aut aliis templorum ornamentis conflandis. Vnum
inter se norunt commercii genus, permutationem. Ergo, quo quisq;
abundat, in forum portat, ut, permutet cum eo, quo indiget:
ut retulit Busbequius epist. 3. Idem de Incolis gelidæ*
sub

sub Arcto oræ narrat Olaus Magnus l. 4. c. 5. Idem, de Americanis quoq; memoriæ proditur. In Regno Catajensi, pellicula, quæ inter truncum & corticem arboris cujusdam media est, contusa, dein glutine compacta, ac magni Chami nomine signata, vicem pecuniæ supplet. In multis Indiæ & Æthiopiæ locis conchyliæ; in Abyssi-norum Regno, salis micæ, & piperis grana, loco numo-rum adhibentur. Præcipue autem memorandum, quod Renatus Franciscus, Scriptor Gallus non inelegans, in libri, qui inscribitur *Essay des Merveilles de la Nature*, c. 29. annotavit: *esse Gentes, quæ in rebus emendis non nisi Majorum suorum ossibus utantur; eaq; tanto majorem estimationem accipere, quanto honoratior, & rerum gestarum magnitudine celebrior fuit is, cujus corporis olim fuere membra.*

CAP. IV.

Monetæ usus, quomodo, post eam inventam, propagatus fuerit. Ex antiquissimis Numis nulli supersunt. Conjectura de illorum forma. Quando Græci uti cœperint Monetæ. Numis Amyntæ nulli comparent antiquiores. De Numorum signaturis apud varias Græciæ gentes receptis. Cyziceni numi præ aliis in pretio. Zecca, Zechini unde Italis dicantur. Materia Græcanicorum Numorum. Integras series Regum Imperii Græcanici an Numi suppeditent.

Sic igitur existimamus, eum, qui in Chaldæa initium habuit, Monetæ usum, proxime in conterminam Palæstinam, mox in Ægyptum, & postea ad cæteras Orientis regiones, lente & pedetentim progredi cœpisse. Ex iis autem, qui illa tempestate cusi fuerunt numi, nulli amplius supersunt, neque cujusquam Assyriorum, imo ne Perfarum quidem Monarchæ, vel alterius primi ævi Regis aut Dynastæ Numisma, ad nostram ætatem pervenit. Vix quoq; est, ut credamus, primos numos imaginibus aut literis fuisse notatos; sed nostra sic est ratio, & sic

fic animum induximus nostrum, Pecuniam ab initio pe-
 nitus rudem, solaq; quantitate & pondere fuisse defini-
 tam; idque non tantum Aristoteli i. Pol. c. 9. credimus,
 sed etiam idem ex Gen. 23, 16. & c. 43, 21. aliquo modo
 colligitur. Accessisse deinde signum, verisimile est, ad de-
 monstrandam quantitatem, ut a ponderando homines li-
 berarentur; & tandem quoq; Deorum aut Principum ad-
 diti vultus, ne quis numos corrumpere, ac depravaret.
 Ab Orientalibus, ut alia, ita Monetam quoque, primi in
 Occidente accepisse videntur GRÆCI, etsi sero; nam Tro-
 jani belli temporibus ære signato eos caruisse, ex Home-
 ro Plinius l. 33. Hist. c. 1. infert, cujus opinioni plerique
 omnes subscribunt. Homerus enim nullam Pecuniæ si-
 gnatæ mentionem unquam injicit; quin potius, cum ex
 Lemno vinum allatum esset, alios ære, alios ferro, alios
 corio, alios bobus, rursus alios mancipiis in medium
 prolatis, emptitasse, diserte refert: nec pigebit locum,
 qui tam §. 2. Instit. de Empt. Vend. quam l. 1. D. de Contr.
 Empt. laudatur, etiam huc ex Iliad. 7. transcribere:

Νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστρεσαν εἶνον ἄγασται
 Πολλὰ, τὰς προσέηκεν Ἰησονίδης Ἐυνηθῶ.
 Ἐνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
 Ἄλλοι μὲν χαλκῶ, ἄλλοι δ' αἰθωνι σιδήρῳ,
 Ἄλλοι δὲ ῥινόϊς, ἄλλοι δὲ αὐτοῖσι βόεσσιν,
 Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσιν.

His tamen, præter ea, quæ supra, cum de Monetæ In-
 ventoribus ageremus, allata sunt, Pollucis quoq; obstat
 autoritas, a quo, jam *Theseum* apud Athenienses nota Bo-
 vis numos signasse, in literas relatam est. Quicquid
 autem de hoc sit, quando nos neque tanto otio, neque
 judicio abundamus, ut antiquas Græcorum, tam adver-
 sis frontibus pugnantes, narrationes, ad concordiam re-
 digam-

C

diga-



digamus; illud tantisper tanquam verum certumq; amplectimur, non diu post depugnatum Trojanum bellum, sensim Monetam apud Græcos magis magisq; cœpisse introduci. Ex omnibus autem, quotquot supersunt, Græcis numis, vetustissimi AMYNTÆ tantum nomen exhibent, quo eum, qui inter Macedonicos tertius ita appellabatur, significari, Doctiores conjiciunt, observante id Savoto in egregio libro, cui nomen fecit Discours sur les Medailles antiques part. 4. c. 17. Cæterum, cum Monetæ usus jam communis in Hellade factus esset, *Delphi, Delphinum; Athenienses Noctuam; Bœotii, Bacchum cum racemo & patera; Rhodii, Solem; Lacedæmonii, Testudinem; Cyziceni, Cybelem cum Leone; Træzeni, Tridentem; Thasii, Perseum; Archivi, Murem; Chii, Homerum; Lesbii, Sapphum; Samothracæ, pugnantes duos Gallos gallinaceos; Cephalenes, Equum; Macedonii, Scutum; alii Populi alia, ceu ex Athenæo, Polluce, & Hesychio patet, in numis expresserunt; ejusq; generis multos Antiquarii passim asservant. Ex omnibus autem *Cyzicenos numos*, Pollux tradit, operis fuisse elegantissimi: quare non abs re suspicatur, nobile par eruditorum Gallorum, Ablancourt, & Vigneri, ille, citatus Cl. Menagio in Originibus Linguae Gallicæ, hic, in suis ad Livium Notis, inde derivandam esse vocem Italorum *Zecca*, quæ Officinam monetariam significat, ipsumq; nomen *Zecchini*, quo Venetorum Aureos omnes appellant. Quam conjecturam insigniter roborare possumus loco Histor. Tripartit. c. 17. ubi de Juliano Imperatore refertur, quod publicos Artifices Opificesq; Monetæ, cum uxoribus atq; liberis, *Cyzicum habitare jusserit*. Ergo, quia Cyzicus numos ubertim præbuit, frequentatum fuit Cyzicenæ pecuniæ nomen, & illi quoq; inditum, quæ alibi cudebatur; simili prorsus ratione, uti apud nos Joachimica Vallis omnibus, qui uspiam finguntur, numis uncialibus argenteis,*

teis, Talerorum dedit appellationem. Materia, ad cundendos numos, utebantur Respublicæ Græcanicæ Ære ac Argento promiscue; interdum etiam Auro: Reges vero plurimum Argentum, minus frequenter Aurum, Æs adhibebant rarissime. Hinc adeo fit, ut, si qui reperiantur Numi Ærei eorum, qui in Græcia, & Regnis hanc Monarchiam componentibus, summa potestate usi sunt, non modo ejusdem notæ argenteis, sed etiam aureis præferantur. Etsi nec ex auro conflata numismata fere ulla, præterquam Philippi, Alexandri M. & Cleopatrarum vulgo conspiciuntur. Carolus Patinus, Vir Doctus, in elegantissimo libello, Introduction à l'histoire par la connoissance des Medailles, vult, ex omnibus Imperii Græcanici Regibus, solorum XX. memoriam in numis restare; de quo tamen asserto nos dubitare cogit Cl. Gassendus in vita Peireskii p. 13. quando, Summum illum Virum, Seriem Seleucidarum Principum, ab Alexandro ad Romanos usque, contexuisse, nec desperasse Sirmondum, idem de Ægyptiis Regibus præstare, commemorat. Interim existimare non injuria quis posset, anceps & difficile esse, illas Series ordinare. Quia enim Ptolemæi, Seleuci, Antiochi, quæ bene multorum fuerunt appellationes, plerumque nulla addita habent cognomina, ideo fieri facile potest, ut eorundem credamus numos, qui sunt diversorum, & contra diversorum, quos effinxerant iidem. Nec enim vultus & habitudinis corporis qualiscunque diversitas, vel similitudo, ad omnem tollendum scrupulum sufficit. Illud quoque minime prætereundum, missa deinde sub jugum a Romanis Græcia, propemodum non nisi æreos in ea numos cufos esse; Argenteos enim primorum & mediorum Imperatorum, cum Græcis inscriptionibus, perpaucos, Aureos plane nullos, oculis usurpamus.

844

CAP. V.

Græci Monetam Italis communicarunt. De primorum apud eos Numorum figura. Penes Romanos Numorum usus cum ipsa cœpit Republica. Dissensus Scriptorum circa eum, qui primus Monetam (pecudem hæc exhibebat) Romæ signarit. Tentatur eorundem conciliatio. Antiquissimi Romanorum numi ex solo Ære facti. Æs de omni pecunia: uti apud Græcos χαλκίς. De nomine As, quod primis numis inditum. Ii librales erant; & magis appendebantur, quam numerabantur. Æs grave, & Stipis unde dicantur. De Suecorum ingenti moneta, quam CHRISTINA Regina introduxit.

GRæcorum, quæ in Italia quondam confederant, Colonias, secum pecuniæ usum in illam Regionem intulisse, est verissimum: & perspicue, præter cæteros, testis est Minutius Felix, in Octavio: Saturnus, inquit, Creta profugus, Italiam metu filii sævientis accesserat, & Jani susceptus hospitio, rudes illos homines & agrestes multa docuit, ut Græculus & politus, literas imprimere, Numos signare, instrumenta conficere. Primorum istorum numorum, quæ figura fuerit ex Macrobiani Saturn. c. 7. discimus; sic enim ibi: Janus, cum primus æra signaret, servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero, navis exprimeretur. Quæ cum ita sint, non admodum mirum videri debet, si apud ROMANOS idem pecuniæ usus initium, quod & Reip. fuit. Nam, quod Festo credimus, docuerunt & publica & privata Commentariorum rationes, Romanos, jam inde a Romulo, Numis auri atq; argenti signati usos esse. Sed, notanter addit, ultramarinos eos fuisse; nam, proprios illi tum nondum habebant, neque adeo expeditum est, quando, & cujus beneficio eos habere cœperint. Tranquillus, apud Suidam, autor est, Numam Regem, primum pecuniam e ferro atq; ære signasse: contra Eusebius in Chron. scorteos tantum & ligneos asses Populo pro congiario a Numama



875
148

ma datos esse, perhibet. Plinius vero l. 33. c. 3. *Servius Rex*, inquit, *primus signavit aes: antea rudi usus Roma, Timæus tradit. Signatum est nota pecudum; unde & Pecunia appellata.* Quibus similia legas apud eundem l. 18. c. 3. Has inter opiniones etsi pernimum interesse videtur, age tamen experiamur, num hæc conciliare possimus. Judicent sapientiores; nos, quid in mentem nobis venerit, breviter indicabimus. Nimirum, opinamur, Numam sua Religionis atq; Justitiæ instituta, quæ Egeriam Nympham suggerere sibi falsò fingebat, ex Jani, cujus prudentia & æquitas, qua Rempubl. quondam administraverat, summis deprædicabatur laudibus, & quem ipse præcipua ceremonia coluisse deprehenditur, exemplo hausisse. Quare, Janum imitando, inter cætera, docuit quoque Romanos Cives pecuniæ conflandæ modum, & Plinio l. 34. c. 1. autore, Collegium Ærariorum fabrorum instituit. Interim, numos magna copia procudere, egestate prohibebatur. Quippe, in ipso illo nascentis Urbis primordio, agrestis ille & pastoritius populus, nondum æris poterat subministrare copiam; cum plerorumq; facultates in pecoribus consistèrent, & pauci rudi metallo, paucissimi, & fortasse ii soli, qui, aliunde ob scelera profugi, cum quodam viatico, ad novæ urbis asylum se receperant, peregrinis numis uterentur. Itaq;, cum liberalem se Rex præstare volebat, scortei & lignei asses, pro tempore, ei distribuendi fuerunt, quod ad æreos fingendos materia non sufficeret. Cæterum, postquam Tullus Hostilius omnes Albanorum opes Romam transtulit, & Priscus XII. Thusciam populos frequentibus armis subegit; jam, uti Livio teste, galeis, clypeis, ocreis, loricis, telis item hastisque, ita numis quoque, ceu nobis videtur, parandis, æris abunde adepti sunt Romani. Ergo sic deniq; Servius, bona fide, & serio, monetariam artem exercere,

mo-
lica.
hæc
An-
pecu-
s nu-
quam
reco-
it.
Co-
n in-
estis
pro-
eptus
culus
con-
erit
anus,
eren-
parte
Quæ
apud
Reip.
blica
a Ro-
inter
non-
o, &
apud
niam
scor-
a Nu-
ma

numosq; communes reddere cœpit: quo ipso effectum, ut Populus ab eo in censum, omnia patrimonia in tabulas possent referri, & maxima civitas minimæ domus diligentia contineri.

Quia Æs, eo quo diximus modo, ante reliqua metalla Romæ signatum est, igitur *Æris* nomen pro qualicunq; numerorum specie postea mansit. Nam, ut Vlpianus ait l. 159. de V. S. *etiam aureos numos as dicimus.* Et, *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit:* quæ Senecæ verba sunt, 5. de Benef. c. 14. Eandem ob rationem, locus quoq; in quo thesauri asservantur, *Ærarium* appellatur, non Argentarium, aut Aurarium. Atq; his paria etiam apud Græcos de voce χαλκός. occurrunt. Hesychius in verbo χαλκῆς ait: τὸ πρὸ χρυσῆς καὶ ἀργύρης ἔλεγον. Pollux l. 9. ἡ δὲ τῶν πολλῶν καὶ τῶν Ἰταλῶν ἰδιωτῶν χρῆσις, τὸν χαλκόν, ἀργύριον λέγουσι. οἷον, σὺν ἔχῃ χαλκόν. Primum autem percussus apud Romanos numus libræ pondo, qui As dictus est, idque vel ab Ære, uti Varro l. 1. de L. L. ait, vel quia solidum, As dicebatur; unde Sidonius, *ex asse historiam texere; ex asse cognoscere; ad assem differere,* eleganter dixit, pro solide & plene. Eodemq; significatu Plin. l. 1. ep. 15. *ad Assem impendium reddere:* Martialis l. 7. epigr. *Heredem ex Asse relinquere,* dixerunt. Sed & in jure Civili habemus, *Ex Asse hereditatem auferre,* l. 2. D. de his quæ ut indign. *In Assem satisfacere* l. 1. §. 1. D. de Separat. *Ex Asse possidere,* l. pen. §. 1. D. qui satisd. cog. *In Assem actionem instituire,* l. ult. D. de Donat. *In Assem vendere,* l. 9. D. quib. mod. pign. solv. Cujus generis plura occurrunt: qui omnes loquendi modi, quod solidum, totum & integrum est, denotant; etsi postremam phrasin, quidam ex Interpretibus, alio sensu acceperunt. Cæterum, librales fuisse primos Romanorum numos, Plin. l. 33. c. 3. Agellius l. 20. Noct. c. 1. Herodot. l. 9. aliq; testantur. Nobis sufficit, i

ficit, unum Varronis locum afferre, ex 4. de L. L. quo, *As*, inquit, *ab are Assipondium dicebatur, ideo quod As erat libra pondo.* Hinc *Asses* etiam *Libram* dictum, apud Fannium de Ponderibus legimus v. 41.

*Nunc dicam solida quæ sit divisio Libra,
Sive Assis; nam sic Legum dixere periti.*

Priscianus quoque lib. de ponder. *Denarium decem librarum numum* esse dixit, quod est profecto *Assium*. Hos autem *Asses* librales appendere Veteres magis solebant, quam numerare. Atq; inde adhuc *Expensa*, in rationibus dicuntur; item *Impendia*, & *Dependere*, autore Plinio l. 33. c. 3. Inde quoque antiqua formula, *per as & libram emere*, cujus Justinianus etiam §. 1. Instit. de Testam. ordinand. meminit: quia scilicet *Libripendes* adhibebantur, ad pensitandum. Ubi tamen *Æs* non aliud est quam *Assis*; eamq; vocem, pro altera supponit Sueton. in Augusto c. 64. sicut & Græci verterunt *ἄσάριον ἢ ζυγόν*. Facit ad rem locus Theophili in paraphr. Instit. Civ. tit. Quib. mod. jus patr. pot. solv. §. 6. Πέντε πικρεζίνοντο μάρτυρες, καὶ ζυγοσπειτῆς ἐπιθερόμεν & ζυγόν ἢ χαλκῆν νέμμεν. Eandem ob rationem passim Scriptores, per tot millia æris, intelligunt ipsos asses: & *Dupondius* dictus duo Asses apud Plin. l. c. itemq; Justinianum Instit. de hered. Instit. §. 8. Sic *Tripondius* apud Quintil. l. 2. Instit. Porro, ab hac pensitatione *Æs grave* dici cœpit, puta quod pondus justum legitimumque haberet; quomodo Livius sæpe loquutus deprehenditur. Nam lib. 4. legas: *Judicibus dena millia æris gravis, quæ tum divitiæ habebantur, ex arario numerata.* Rursus sub finem ejusdem lib. Et quia nondum argentum signatum erat, *as grave* plaustris quidam ad ararium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Istud pondus & gravitas, *Stipis* quoq; nomen, secundum Varronem 4. de L. L. pepererunt: Nam, quod

Asses

Asses libra pondo erant, qui majorem numerum acceperant, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant. Prorsus igitur ea quondam Romæ, quæ nunc in Suecia, rerum fuit conditio, ubi, ad alicujus momenti æs alienum vulgata moneta ærea diluendum, aurigarum itidem ministerio opus est, qui illud ad creditorem devehant. Atque Laminæ præfertim oblongæ æneæ, quas CHRISTINA Regina, cum rerum adhuc in eo Regno potiretur, ut ab ærumnosa minores æreos numos numerandi, temporisq; perdendi calamitate subditos liberaret, prima introduxit, ac in anterioris partis meditullio, & quatuor angulis signavit, non nisi in cellis cumulantur, futuræ cæteroquin graves ædibus; cum aliquarum pondus etiam universas XXV. libras, nisi fallimur exæquet.

CAP. VI.

Ex libralibus Assibus Romani fecerunt sextantarios. De horum icone, ejusq; causa. Laurentii Pignorii & Basilii Fabri errores notantur. Nova Assium apud Romanos imminutio. Librales Asses nulli supersunt; bene autem alii minores. De minutis Romanorum numis. Habebant Romani Monetam quoq; plumbeam.

Quales Servius effinxerat, librales Asses, diu apud Romanos in usu, nec ulli fuere obnoxii mutationi. Cæterum, sub primum bellum Punicum, ne quid detrimenti Respubl. caperet, deniq; a more Majorum longe recessum est. Tum enim, uti ex Plinii l. 33. c. 3. discimus, cum impensis Respubl. non sufficeret, libræ pondus æris imminutum est, constitutumq; ut Asses sextantario pondere ferirentur. Atque hoc solerti invento, cum quinque partes lucri fierent, facile a Patribus dissolutum est æs alienum. Leviter dissentit Festus, cum, in voce *Sextans*, hæc in secundum Punicum bellum refert. Quippe idem, in voce *Grave æs*, indefinite scribit: *Bello Punico Populus Rom. pressus ære alie-*

alieno, ex singulis assibus librariis, senos fecit, qui tantundem varent. Novorum istorum Assium apud Plinium l. c.prehendimus quoq; formam; quippe, *ex altera parte Jano gemino, ex altera, rostro navis* notatos fuisse, perhibet. Characteris hujus rationem Plutarchus probl. 40. indicat, & Legislatoris duplicem frontem, propter vitæ commutationem; imaginem autem navium, propter fluviorum commoditatem impressam fuisse, arbitratus est. Aliter Ovidius in Fastis:

*At, bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.*

Quas opiniones uti non rejicimus, ita magna probabilitatis specie adjungere quis posset, in Sextantibus, qui tempore primi belli Punici cudi cœperunt, veterem, primæq; in Italia monetæ, characterem, revocatum esse; ut Jani imagine ostenderent Romani, se in medio bello de Pace quoque cogitare, ejusq; tutelare Numen religiose colere: Addita autem fuisse rostra navium, quia, (quæ ex Flori l. 2. c. 2. juncto eidem Eutropio, excerpimus) terrester hætenus populus tum primum fretum ingredi, & classem parare ausus est; ea quidem velocitate, ut intra sexagesimum diem, quam cæsa sylva fuerat, CLX. *navium rostratarum*, quas Liburnas vocant, classis, in anchoris staret: & non arte factæ, sed, quodam munere Deorum, conversæ in naves atq; mutatæ, arbores viderentur. Hic vero notandus nobis venit Doctissimus cæteroque Laurentius Pignorius, qui memoriam eruditionemq; suam non videtur consuluisse, quando Epistol. Symbol. 2. numos cum Jano bifronte & puppi, non nisi Julio Cæsare & Pompejo vigentibus, cusos esse scripsit, & quasi cujusdam incuriæ arguit Lactantium, quod l. 1. Div. Instit. c. 13. eos Numos, *Veteres* appellaverit, cum

D

vix

vix CCCLI annis, ante Doctoris hujus ætatem, conflati fuerint. Longe enim antiquiores eos esse, fatis superq; probatum dedimus, & inter primum bellum Punicum, ac C. Cæsar's ætatem, CC. amplius annorum intervallum est. Similiter indicandus longe gravior in hoc negotio error, qui in *Basilii Fabri Thesaurum Scholasticæ eruditionis*, Autoris somnolentia, irrepsit; sic enim ibi, in voce *As*: *Cum Romanus Populus ære alieno premeretur, ex singulis assibus libralibus sextantarii, id est selibres (halbschwer) facti*: quæ postrema verba, ne cui non cogitanti fraudi sint, omnino debent expungi. Ex supra enim allatis Plinii & Festi locis clarissime colligitur, Asses Sextantarios ponderis fuisse duarum unciarum: nec ad eam rem probatione ulteriore opus est, cum ipsa vox id clamitet, & ut Varro ait l. 4. de L. L. *Sextans ab eo dicitur, quod est sexta pars assis.*

Post primum bellum Punicum, notum est, vix quadriennii requiem fuisse Romanis; & statim alterum ortum esse, atrocitate sua terribile. Quippe Annibal gravissime Romanorum res affligebat, atq; imprimis, post mortiferum apud Cannas Imperii vulnus, in id loci redactus erat infelix Populus, ut in ejus exitium, terra, cœlum, tota deniq; rerum natura consensisse videretur; nec aliud prope restabat, quam ut exequias Romanis, quibus commodum esset, irent. Respirare nihilominus, & quasi ab inferis emergere Respubl. cœpit: atque sicut armorum defectui, ex templorum donariis; militum paucitati, servitia in sacramentum militiæ liberando, prospectum fuit: ita, ut summæ egestati Ærarii consulere, non tantum opes suas Senatus in medium protulit, sed & quod rursus Plinius sæpe allegato l. 33. c. 3. scriptum reliquit, *Q. Fabio Maximo Dictatore, unciales primum facti Asses, & mox quoq; Lege Papiria semunciales.* Atque hoc modo, cum Respubl. semper dimidium lucraretur, penuriæ, qua cum

con-

conflictabatur, medicina allata est. Et vero, in hoc statu
semper deinde res permansit, nec aliam imminutionem
ad Plinii usq; ævum legimus. Postremorum Romano-
rum Assium multi supersunt, primi autem illi librales, ad
unum omnes periere; etsi fortasse Augusti ævo quidam
adhuc extabant. Nam, in loco Suetonii, de Augusto: *Sa-
turnalibus, & si quando alias libuisset, modo munera dividebat,
vestem, & aurum, & argentum: modo numos omnis notæ, etiam
veteres Regios, ac peregrinos: Torrentius, Veteres Regios nu-
mos, de Numæ & Servii pecunia accipit. Cæterum, iis,
quæ paulo ante de Sextantariis Assibus attulimus, nihil
officit, quod jam ante primum bellum Punicum *Sextan-
tium* fit mentio; & Menenium Agrippam, quem Senatus
& Plebs pacis inter se faciendæ sequestrum legerant, Li-
vius l. 2. & Val. l. & c. 4. ex. 2. a populo, collatis in capita *Sex-
tantibus, funeratum esse*, memorant, cujus mors incidit in
A.V.C. CCLX. Nempe, Sextantes, primis illis temporibus,
partes tantum fuere Assis, & minores numi, quos Ser-
vius, usui imprimis pauperum, & ad viles res emendas,
conflavit. Sic *Semisses, Trientes, & Quadrantes* quoque, in
Scriptoribus occurrunt, quos præter, nullas partes Assis
in numos venisse, Lipsius de re Num. p. 13. tradidit. In
Triente & Quadrante Ratis fuisse effigiem, ut Navis in
Assis, ac propterea etiam *Ratitos* numos hos dictos esse,
apud Festum legimus. Enim vero, ea tempestate, qua ipsi
Asses semunciales facti, veteres Sextantes, Trientes, Qua-
drantes, ac Semisses simul cessasse, & in illorum locum mi-
nutias quasdam æris, sive rauduscula, servata scilicet pro-
portione novi Assis, surrogata fuisse, quæ antiquorum no-
mine & pretio censerentur, ratio utiq; persuadet. Ac Sex-
tantes illos novissimos, sive æris minimam partem, *Sex-
tulam* quoq; vocatam, Varro 4. de L. L. scriptum reliquit.
Porro, & *Plumbei Numi* circa eadem tempora cœpisse vi-*

dentur: Etenim his quoq; Plebem Romanam usam, multis Plauti & Martialis autoritatibus confirmari potest. Nobis unam & alteram allegasse sufficit. In Casina a. r. sc. Omnibus &c. Stalino, *Cui homini, inquit, hodie peculā numus non est plumbeus.* Martialis vero l. 10. epig. 47.

*Anteambulones & togatulos inter,
Centum merebor plumbeos toto die.*

Non abs re igitur Savotus & Patinus popularem solum Salmasium carpunt, quod nullos Romanorum plumbeos numos agnovit. Interea loci fatendum, ex æreis, plumbeisq; veterum numulis, vel nullos, vel superesse paucissimos, quia & tempus, & terra, edaces rerum, propter exiguitatem & fragilitatem eorundem, illos facile consumpserunt.

CAP. VII.

Æris apud Romanos discrimina. Æs Vulgare. Eius species Hepatizon, Cyprium, Sallustianum, Livianum, & Marianum seu Cordubense. De Æris Corinthii origine, differentia, & usu in numis. Catalogus Numorum, qui pro Corinthiis habentur.

PRIUS Æneos quam Numos missos facimus, de ipsius Æris apud Romanos differentia, quædam annotare convenit. Est igitur Æs, generatim, vel *Vulgare*, vel *Corinthiacum*. Vtriusq; variæ rursus reperiuntur species. *Vulgare Æs*, vel a Locis, e quibus effossum, vel a mixtura quadam metallorum, quæ ex industria fiebat, & aut flavum, aut album, aut igneum colorem ei conciliabat, magis quoque minusq; ductile reddebat, varia habuit nomina; de quibus singulatim loqui, nimis foret prolixum. Huc referimus etiam illud, suo colore pretiosum, ad jecinoris imaginem vergens, quod, autore Plinio l. 34. c. 2. *Hepatizon* Veteres appellabant. Antiqui, quos possidemus, quosq; tracta-

tractavimus Asses, ejusdem omnes videntur esse materiae: atque eos *ex Cyprio aere* conflatos esse, e Plinio l. c. con-
 jicimus. Et sane huic Insulae Antiqui aëris inventionem
 acceptam referebant, etsi ipsum, quod producit, aë, inter
 postrema connumerandum, ac ideo fortasse Isidoro l. 16.
 Orig. c. 19. *Regulare* dictum. Sub Augusto melior in qui-
 busdam Numis (nam, de omnibus, nec ista, nec quæ de
 aliis sequuntur, accipi volumus) metalli species ni-
 torq; Nimirum, tum *Sallustianam Aes*, in Centronum Al-
 pino tractu, & mox, *Livianum in Gallia*, quorum illud a D.
 Augusti Amico, hoc a Coniuge, utpote dominis illarum
 fodinarum, nomen invenit, fuit repertum. Credimus
 igitur, spreto Cyprio aëre, nova Deorum munera, ad nu-
 mos fingendos, Augustum adhibuisse. Vtrumq; autem
 velocis fuit defectus, & Successores Augusti, potius ad
Marianum seu Cordubense aë, se videntur convertisse, quod
 optimum erat, & orichalci bonitatem imitabatur; quare
 horum imprimis majores numi, illos Augusti, vehemen-
 ter antecellunt. *Corinthio Aeri* casus, & opulentissimæ
 urbis injuria, originem dedere, non Natura, aut homi-
 num ingenium. Cum enim A. V. C. DC VII. L. Mum-
 mius Consul (apud Isidorum l. 16. Orig. c. 16. spisso erro-
 re Hannibalis nomen legitur) Achajæ caput, Græciæ de-
 cus, nobilem Corinthum, occupatam direptamq;, tuba
 præcinente, delevisset, incendio permistis plurimis statuis
 atq; simulacris, aëris, auri, argentiq; venæ in commune
 fluxere: atque ex hac mixtura, quia, quod ex l. 5. §. 1. D.
 de rei vind. constat, aë & aurum Veteres deducere non
 poterant, natum esse *Aes Corinthium*, Plin. l. 34. c. 3. &
 Florus l. 2. c. 16. perhibent. Plutarchus tamen, libro de
 Pyth. Orac. Fabrum quendam Corinthium hujus aëris
 autorem facit, qui, cum incidisset in thecam auri plenam,
 eamq; sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum

834

in minutas particulas aurum paulatim æri admiscuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, ac magnas opes sibi paraverit. Etsi vero Muretus, quem Schildius ad Suet. Aug. c. 70. p. 117. laudavit, hanc sententiam propius, quam priorem, ad similitudinem veri accedere, arbitratus est, nobis nihilo secius alia mens, & prior opinio magis arridet. Ne enim multa, quæ contra ipsam Plutarchi narrationem afferre possimus, nunc urgeamus, quæ, quæso, faber unus, auri ærisque tam immensam possidere potuit copiam, quæ postea innumerabilibus Deorum simulacris, columnarum capitulis, lucernis, trullis quoque, & aliis vasis effingendis Posteritati sufficeret? nam, hæc omnia ex ære Corinthio conflata fuisse, Plinius asseverat, & quædam eorum etiam nunc Romæ, & Venetiis quoque, apud Illustres Lauredanos, reperiuntur. Imo, fores famosi Templi, quod Romæ M. Agrippa construxit, & Pantheon appellavit, quatuor quoque stupendi operis Equos, quibus S. Marci apud Venetos Basilica ornatur, & quibus, inter omnia Orbis signa, principatum Artifices deferunt, ex ære Corinthio esse, plerisque est persuasissimum. Jam vero, si Plutarchus, quod res est, scriptum reliquit, inferendum utique, æris Corinthii, ob solius æris aurique commixtionem, formam semper fuisse rubicundam. At, hoc aliter se habuisse, Plinius l. c. demonstrat, docetque, tria fuisse Corinthii æris genera: *Vnum Candidum, Argento quam proxime nitore accedens, in quo scilicet illa mistura prevaluit. Alterum, in quo Auri fulva natura. Tertium, in quo equalis omnium fuit temperies.* De reliquo, certant inter se Antiquarii, num tertii inprimis generis *Æs Corinthium numis formandis quoque præbuerit materiem.* Negat id Savorinus p. 121. provocatque ad experientiam, quæ, quod si igne solvantur ii, qui pro Corinthiis habentur, numi, satis ostendat, nihil auri iis esse admixtum. Contrarium

Æneas



Æneas Vicus in scito libro, quem vocat Discorsi sopra le
 medaglie de gli Antichi, p. 35. defendit, contenditq;, Ti-
 berium, Caligulam, & Claudium, Imperatores, vere ex
 diversis metallis conflatos Corinthios dedisse numos.
 Quicquid de hoc sit, illud nihilominus negari non potest,
 eos numos, qui communiter Corinthii dicuntur, esse
 præclarissimos, & jure ac merito dignos, qui aureis præfe-
 rantur. Quippe, præterquam quod rarissimi sunt, & sum-
 mo artificio elaborati, si nihil auri admixtum habent, fal-
 tem nulla nostra industria, nulla sagacitas, tam aurulen-
 tum æs reddere hætenus potuit, quam in iis deprehen-
 ditur; etsi sæpe factum est periculum. Paulo ante laudatus
 nobis Vicus numerum inivit eorum Numorum, qui pro
 Corinthiis habentur. Nimirum, ex TIBERII numis Corin-
 thii sunt: In quibus Pietas; in quibus Justitia; in quibus
 Salus; in quibus Templum nudum; item, in quibus Tem-
 plum cum duabus Victoriis, & inscriptione, CIVITATIBVS
 ASIÆ RESTITVTIS, exprimuntur. Amplius, in hunc cen-
 sum referendi, in quibus Augusti figura ramum quernum
 manu tenet, additis verbis: DIVVS AVGVSTVS PATER.
 Item, in quibus geminum Cornu copiae, cum imaginibus
 filiorum Drusi; deniq;, in quibus Juliae, carpento vehenti,
 S. P. Q. R. JULIAE AVGVST. additur. Inter CALIGV-
 LÆ Cæsaris numos, Corinthiorum nomine veniunt illi,
 ubi tres ejus Sorores, Agrippina, Drusilla, Julia, quasi
 totidem Deæ; & illi, ubi Drusus & Nero in equestribus
 statuīs figurantur. Item, ubi ab una parte imago Pietatis
 sedentis, ab altera, Templi exhibetur: nec non, ubi Agrip-
 pina carpento vehitur, adscriptumq; S. P. Q. R. MEMO-
 RIÆ AGRIPPINÆ. CLAVDII, Corinthii numi sunt,
 qui monstrant Spei simulacrum, dextra florem gestantis:
 item, qui quernam coronam, celebratam illo immortalī
 ac pæne divino elogio, S. C. P. P. OB CIVES SERVATOS.
 Simi-

Similiter ii, ubi Drusus triumphans inter spolia Germanorum confidet; ac deniq;, (qualem etiam nos custodimus) in quibus arcui triumphali Statua equestris Drusi, cum trophæis, superimposita; scriptumq;, NERO CLAUDIVS DRVSVS GERMAN. IMP. Præter hos, Æneas Vicus non credidit, extare Corinthios alios. Sed tamen Jacobus Zabarella, libro de gli Arronzii p. 31. testatur, se vidisse apud Johannem de Lazara Corinthios duos, qui non sunt in istorum censu. Vnum nempe Augusti, cum inscriptione: CONSENSV SENAT. ET EQ. ORDIN. P. Q. R. alterum Caligulæ, cum verbis: S. P. Q. R. P. P. OB CIVES SERVATOS: & fortasse reperiuntur istis etiam plures. Interim tenendum, post Claudium, nullos Imperatores Corinthio ære amplius usos deprehendi; quod ideo, quia materia defecerit, factum esse, laudatus Vicus non temere conjicit. Nec multum reluctabimur, si quis dicat, etiam hos ipsos, quos memoravimus, non tam ad promiscuum pecuniæ usum, quam eo potius fine, a Principibus effictos cufosq; videri, ut congiarii loco Populo distribuerentur; ut in theatris, circis, compitis, cum solemnes ludi exhibebantur, aut triumphus agebatur, missilium vice jactarentur; ac deniq;, ut, pro strenis & apophoretis, dono darentur Militibus, Magistratibus, & Amicis. Insignis in hanc rem locus (etsi de aureis tantum ibi sermo est) legitur apud Trebell. Pollionem in Gallienis. *Convivatus in publico est: Congiariis Populum molliovit: Senatui sportulam sedens erogavit: Matronas ad Consulatum suum rogavit, iisdemq; manum sibi osculantibus quaternos Aureos sui nominis dedit.* Notandum: Circa Septimii Severi tempora, defecisse rursus Æris bonitatem, eiq; plumbum fuisse admixtum; ceu ipsi numi, si igni committantur, ad oculum ostendunt, plumbi guttulis undiq; prorumpentibus.

CAP.

CAP. VIII.

Quales Numi Metallionum nomine veniant. Veterum Imperatorum circa Metalliones Numosq; alios institutum, magis facit ad memoriam & eternitatem, quam quod nostri Principes designant. Copia Metallionum apud CHRISTINAM Sueciæ Reginam. Eorum, qui extant, numerus initur. De Metallionibus, qui Crotoniati dicuntur. Aliorum de ea appellatione conjecturis, nostra quoq; subjicitur.

HOc loco indicare operæ pretium est, esse etiam inter hæreos Imperatorum numos genus aliquod prægrande, & solitum bis, sæpe etiam ter, pondere excedens: ii Gallis *Medaillons*, Italis, *Medaglioni* dicuntur; unde Latine, horum similitudine, METALLIONES eos vocamus. Habent autem plerunq; res illustriores Imperatorum, consummatissimo opere insculptas, nec unquam nota S. C. in iis conspicitur. Quare, una omnium Antiquariorum est sententia, Metalliones ab ipfismet Principibus excusos esse, non quidem, ut in mercimoniis emendis vendendisq; usum præberent, sed, ut in signis militaribus cohortium præferrentur, vel, ut perenne essent rerum a se bene gestarum monumentum. Prorsus uti nostri Principes, si quid insoliti acciderit, numos pro memoria effingere quoq; jubent. Atq; hic, si rem recte nobiscum reputemus, dicendum omnino, priscos illos rerum humanarum Præsides, magis suæ famæ, magis posteritati consuluisse, recentes quam faciunt. Nam, quæ nunc fiunt, numorum *μνημόσυνα*, ex auro, argentoque tantum flantur: quæ causa est, cur non possint, ut ille ait, usq; ad senectutem canescere; sed, vix efficti, ab iis, quibus nihil præter lucrum jam dulce est, raduntur, & conflantur, omnisq; rerum perit memoria. Cæterum, Romani Principes, quo sacra auri fames cogere posset mortalia pectora, quantum barbaries valeret, probe perspe-

E ctum

CAP.

Etum habebant. Ergo, ut adversus pestes has, nominis
 famam, factorumq; gloriam æternum tuerentur, æri po-
 tissimum, quas gestas res per orbem terrarum vagari,
 quas venturis omnibus seculis notas esse volebant, com-
 miserunt, id quoque sedulo curantes, ut cum artificio
 numismata elaborarentur; certissime persuasi, salvos &
 incolumes semper futuros numos, in quibus ars mate-
 riam vinceret, quiq; si dissolverentur, nullum, vel exi-
 guum præbituri erant commodum. Præclare, sapien-
 ter, pulchre! nihil supra! nunquam vidimus melius con-
 silium dari. Ipsa experientia loquitur abunde, superasse
 Romanos Imperatores, hoc invento, omnes temporis in-
 jurias, & de oblivione triumphare. Quicquid enim ex
 iis amavit antiquitas, quicquid mirata est, manet, man-
 surumq; est, in animis hominum, in æternitate tempo-
 rum, & fama rerum: cumq; multos ævi veteris aliarum
 nationum Reges, velut ignobiles & inglorios oblivio ob-
 ruerit, ipsi, posteritati narrati & traditi, egerunt superstites.
 Non autem existimandum est, omnium veterum Impe-
 ratorum quosdam extare Metalliones; tales enim pau-
 corum tantum, & quidem exiguo numero, supersunt.
 Rursus autem Æneæ Vici de prædicanda hic est sedulitas,
 ex quo, uti supra Corinthios Numos enumeravimus, ita ex-
 hibere quoq; licet METALLIONVM Seriem. Sunt au-
 tem Metalliones, quotquot sequuntur. HADRIANI nu-
 mus cum ponte; item alius, in quo currus, a quatuor agi-
 tur leonibus. ANTONINI, cum corona laurea, & inscri-
 ptione S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIVM: alius, in quo
 Italia; & is quoq;, in quo Æsculapius, & in quo Sanitas vi-
 suntur. M. AVRELII Metalliones habent statuam ejus e-
 questrem; Faustina, cum templo & sacrificio; eandemq;
 cum Pavone. Inter L. VERI numos, tales sunt ii, in qui-
 bus ejus & M. Aurelii a parte antica, a postica vero Martis
 cum

859.

cum trophæo stantis, est effigies: item, in quibus Hercules Hydram occidit; &, in quibus Jupiter septem collibus superstat. **COMMODVS** numero Metallionum alios antecellit: quippe nobis in iis dedit Herculem stantem; Jovem tonantem; Romam sedentem, cum Victoria; Cybelen leonis terga prementem, quam Galli Sacerdotes comitantur; Salutem Deam sedentem, quam propter sunt arbor, & columna; Crispinam conjugem, ubi ab adversa parte sunt tres figuræ, cum verbis, **VOTA PVBLICA**; dedit insuper Infantes quatuor, quibus anni tempora designantur; deniq; Herculis clavam. **SEVERI** Metallio geminum refert Templum, & Græcanicam inscriptionem. **CARACALLÆ** Metalliones duo sunt, unus, in quo Eques subiectum hominem ferit; alter, in quo simulacrum Herculis. **GETÆ** totidem: exhibent enim Fœminam, geminum templum manu gestantem: itemq; tres statuas equestres, quibus additur **PRINC. JVENT.** **GORDIANI** extat Metallio, cum Herculis & Mercurii simulacro. **PHILIPPI**; cum sacrificio, templo, & figuris quatuor: cum Martia Otacilla, & gemino ab adverso latere simulacro, verbisq;, **CONCORDIA AVG.** Cum gemino capite, & duabus ab adversa parte figuris. Alius **Biceps**, in quo adversa pars habet equites duos, quos præcedit Victoria, sequuntur milites, adscriptum, **ADVENSIVS AVG.** Deniq; **Triceps** quidam, cujus alterum latus geminæ Victoriæ, scutum unicum manu tenentes, absolvent. Tandem, in **DECII** Metallione signata est Victoria. Rursus autem, præter Vico observatos, alios quoque Metalliones notare nobis licuit, & quidem unum iterum apud Zabarellam in libro laudato de gli Arronzi p. 58. Commodi Imperatoris, quem ipse ait esse pulcherrimum; exhibet enim sacrificium magni apparatus, inscriptumque: **TR. P. VII. COS. IIII. VOTA PVBLICA.** Gassen-
E 2
dus

inis
 po-
 gari,
 om-
 ficio
 os &
 late-
 exi-
 bien-
 con-
 rasse
 is in-
 m ex
 man-
 mpo-
 arum
 o ob-
 tites.
 mpe-
 pau-
 sunt.
 litas;
 ta ex-
 t au-
 I nu-
 r agi-
 nscri-
 n quo
 as vi-
 ejus e-
 lemq;
 n qui-
 Martis
 cum



dus vero in vita Peireskii l. 4. ex hujus ore refert, in quibusdam vulgo vocatis Medallionibus expressum esse Elephantem *funambulium*. Quid, quod fama tulit, CHRISTINAM Sueciæ Reginam, quæ magnis sumtibus *Francisci Gothofredi*, Nobilis Romani, amplissimum Thesaurum Numarium emit, quasi universos ducentos Metalliones possedisse; cujus narrationis fides propemodum laborat. Præterea observatione dignissimum est, quosdam ex his Numis limbum ex diverso metallo habere, & quasi prætextatos esse. Æreos enim ora ex aurichalco; conflatos ex aurichalco, ærea circumdat extremitas. Sunt autem: ille *TRAIANI* cum leonibus quatuor. *ANTONINI*, cum laurea. *GETÆ*, cum tribus statuis equestribus; & ille *Martiæ Otacillæ* cum duobus simulacris. Quales qui possident, eorum unum solum multis numis Philippeis aureis non potest auferre ab iis, si quis emptor venerit. Proprio nomine hæc Numismata vulgo *CROTONIATA*, Italis *MEDAGLIONI CROTONIATI*, dicuntur: quod vocabuli non placet aliquibus, quia nimirum ii numi nihil ad Crotonem Tarentinorum Urbem attinent; quare malunt *Contorniata* vocare, ut ex Gallica lingua quædam appellationis reddi possit ratio. Sed, ista opinio minime nobis probatur. Vix enim credibile est, Antiquarios Italos, inventores appellationis, a Gallis voluisse mutuo petere vocem, & ad suum modum eam efformare. Magis placeret vox *Contorniata*, quam Savotus suggerit, si ita Itali loquerentur. At, quantum scimus, *Attorniare* & *Intorniare*, probati dicunt Scriptores, *Contorniare*, non dicunt. Giacomo Passauanti p. 361. *Giacendo la persona del lato manco, doue è il cuore, il sangue grosso, e certi altri humorz corrono a quella parte, ed attorniano il cuore.* Et alibi: *Prato Intorniato di grandissimi abeti.* Nos falli possumus, sed suspicamur, suspicamur inquam, Græcanicam originem redolere vocem *Crotoniata*,

37

toniata, & a Viris Literatis primum illos, de quibus agimus, numos, τὰ ΚΡΟΤΤΩΤΑ νομίσματα, quasi *Fimbriata*, dicta esse; ex eo autem postea imperitiores effecisse *Crotoniata*, quod Græci vocabuli sensum minus haberent perspectum.

CAP. IX.

Acceditur ad Argenteos Romanorum Numos. Quando ii cudi cœperint, inter Scriptores dissensus est. De Denario & Quinario. Sestertii valor & nota. Difficillima secundum Sestertios & Sestertia numerationi, Regulis quibusdam, levamentum affertur. Libella, Sembella, & Teruncius, quale Monetæ genus fuerint. Vox, Numus, proprie argenteam Monetam denotat. Ac non Sestertios tantum, sed & Denarios eam significare, contra Budæum assertitur. De Pondere antiquo Denariorum. Ei postea aliquid fuit detractum.

EJa age, exfurgamus animis, Ærisq; furvo aspectu debilitatos oculos, melioris metalli, quod diei simile, & Plin. l. 33. ideo militaribus signis familiarius fuit, quoniam longius fulget, c. 31. recreemus nitore,

--- Subeatq; ARGENTEAE PROLES.

Sed, in ipso limine rursus hæremus; nam, de tempore, quo primum Argentum signari cœptum, palam apud Autores dissensus est. Plinius l. 33. c. 3. negat, ante Pyrrhum Regem devictum, Romanis Argentum signatum in usu fuisse; & mox tempus definit, quo id primum contigit, nimirum A. V. C. CCCC LXXXIV. C. Fabio Consule, & V. annis ante primum bellum Punicum. Valde ab eo Varro dissentit, qui, Charisio i. Gramat. teste, in Annalibus tradidit, Numum argenteum conflatum primum a Servio Tullio. Quare ad solvendum nodum, cum Lipsio, in libello de re Num. p. 18. dicendum: fieri posse, ut signaverit quidem Tullius argentum, sed cujus postea usus defuit; vel: aliud aliis in re antiqua visum esse, ut sæpe solet. Interim

E 3 Plinii

qui-
ntem
Sue-
redi,
ium
isse;
erea
mis
atos
hal-
RA-
rea.
rtiæ
ent,
non
no-
ME-
non
to-
Con-
tio-
pro-
nto-
em,
vox
ren-
pro-
mo
e è il
arte,
ndis-
ica-
Cro-
iata,



Plinii assertum magis ad veritatem accedit, quippe quod & Liviana Epitome l. 15. ubi, non nisi victis Tarentinis Populus Romanus Argento uti coepisse, dicitur; & Zonaras quoque t. 2. Ann. confirmant. Cui confirmando addi potest, non Livium, non Dionysium, non quendam Veterum, ne in Censu quidem Serviano, summas concipere per Argenteos, sed tantum per numos æreos. Porro, quantum ex Plinio colligere licet, continuo Argenteorum numorum diversæ fuerunt species; nam postquam natalem, ut ita loquamur, annum indicaverat, statim *Denarii, Quinarii, & Sestertii* mentionem subjicit. DENARIUS dictus, quod denos Asses valeret; sive, ut Plinius effert: *Quod placuit pro decem aris libris: & ideo signum X. quoque fuit impressum.* QVINARIUS dimidio Denarii, sive quinibus Assibus aestimabatur, numerali litera V. notatus. SESTERTIUS, Quinarii fuit dimidium, valebatque duos Asses & Semissem, dictus quasi Semistertius, i. e. Semisse dempto de tribus. Hoc diserte Varro l. 4. de L. L. docet: *Dupondius & semis, antiquus Sestertius est, & veteris consuetudinis, ut retro ara numerentur; ita, ut Semistertius, Semisquartus, pronuntiarent.* Vitruv. l. 3. c. 1. *Nostris primo quartam Denarii partem, quod efficiebatur ex duobus Assibus, & tertio semisse, Sestertium vocitaverunt.* Atque hic Græcanicus sermo est; nam sic Suidas ex Polluce: *Ἀρχαία ἢ ἡ δευτέρα ἢ τὸ τρίτον ἡμιτάλαντον, ἢ πέμπτον ἡμιτάλαντον. Ἔστι ἢ τὸ μὲν τρίτον ἡμιτάλαντον δύο ἡμισυ τάλαντα, τὸ ἢ πέμπτον ἡμιτάλαντον τέσσαρα ἡμισυ. ἢ ἑβδομον ἡμιτάλαντον ἕξ ὕμισυ.* Nota Sestertii, L. L. S. fuit, qua satis perspicue libræ duæ & semissis indicantur; sed priores literas, labente ævo, Librarii, sive ob imperitiam, sive ob majorem scriptionis facilitatem, in unam contraxere, signum aspirationis H. substituendo; quare nunc HS. valet Sestertium. Mansere autem semper illa nomina, etsi, cum Asses unciales facti, placuit,

Plin. l. c.

cuit, Denarium XVI. affibus, Quinarium octonis, Sestertium quaternis permutari. De reliquo, est de Sestertio negotium anceps, & difficilis prorsus considerationis, quod multos Eruditorum vehementer torfit, & aut hærere fecit, aut in diversas, imo & contrarias opiniones perduxit. *Job. Fredericus Gronovius* tamen, Vir doctrinæ singularis, de Sestertiis, seu subsecivorum pecuniæ veteris Græcæ & Romanæ libris 4. rei obscuræ plurimum lucis affudit, ac multa aliis ignorata egregie docuit; quem ii consulere debent, qui pleniorē notitiā desiderant. Nos, ut imperitiis, & illis, qui DEÆ MONETÆ sacris primum initiari cupiunt, quippe quos unos in hac Dissertatione curamus, quiq; soli ad nos attinent, consulamus, paucis Regulis, quæ ipsos scire juvat, complectemur.

I. Sestertium, neutro genere, neutiquam, ceu nonnullis placuit, ex errore Librariorum profectum est, sed notat pecuniam signatam, semissem tertium pendentem, hoc est, duas libras & semilibram ponderis explentem, ut, quemadmodum sub voce *Sestertius*, verbum *Numus*, ita sub *Sestertium*, verbum *Argentum* subaudire oporteat. Argenti autem libra numis sestertiis 400. ac proinde duæ & semilibra numis sestertiis 1000. æstimabantur: atque tantum valet Sestertium, mille nimirum Sestertios, aut mille Numos: qui, secundum *Pascasii Grosippi*, sive *Gasparis Scioppii* Tabulas Rei antiquæ Numariæ, nostræ monetæ Coronatos sive Scutatos XXV. efficiunt.

II. Sestertium, in unitatis numero, haud temere apud Scriptores Romanos occurrit, sed solus pluralivus numerus ab iis adhibetur.

III. Si nomen numerale convenit casu, numero & genere cum Sestertio, tot præcise indicat, quot efferuntur, ut, *decem Sestertii*, totidem designat.

IV. Si nomen numerale alterius casus jungatur cum genitivo plurali *Sestertiūm*, tot millia indicantur: ut, *Decem Sestertiūm*, notat

tat

802
864

tat *decem millia Sestertiorum*. V. Si adverbium numerale
 jungatur cum genitivo plurali *Sestertiūm*, designat toti-
 dem centena millia: ut, *Decies Sestertiūm*, valet decies
 centena millia Sestertiorum. VI. Adverbium numerale
 ipsum, nude ac solitarie positum, valet similiter tot cen-
 tena millia sestertiorum: ut, *decies, undecies*, (coacerva-
 bimus voces, ut de earum enunciatione, cum numeris
 significantur, constet,) *duodecies, tredecies, quaterdecies, quin-*
decies, sedecies, decies septies, vicies, tricies, quadragies, sexa-
gies, septuagies, octogies, nonagies, centies, ducenties, quin-
genties, nongenties, millies, millies decies, millies centies, bis
millies, bis millies centies, tres millies, quater millies, valet
 tot centena Sestertiorum millia, sive, quod idem est,
 tot centena Sestertia. Atq; hæc quidem ita se habent.
 Nunc reliquæ quoq; Denarii partes percensendæ sunt, etsi
 minus tritæ. Offert se initio LIBELLA, quæ non aliud,
 quam ejus decima, & Assi æquiparatur. *Numi Denarii,*
inquit Varro, decuma, Libella, quod libram pondo As valebat,
et erat ex argento parva. Hinc Plaut. in Pseud. *Tibi Libel-*
lam argenti nunquam creduam. Eadem vox apud Cicero-
 nem aliquoties occurrit. Et vero, ipsa hæc Libella, quasi
 As aut Libra rursus secabatur: eratq; SEMBELLA, quod sit,
 iterum Varrone Autore, *Libellæ dimidium, quod semis assis.*
 Quam enim proportionem habet Assis ad Semissem, ean-
 dem habet in argento Libella ad Sembellam. Sequitur
 TERVNCIVS, a tribus unciis ita dictus, qui valebat Sem-
 bellæ dimidium, sive Sestertii partem quadragesimam;
 cujus, præter Varronem, Plautus etiam in Captivis, &
 Cicero variis in locis, meminerunt. Ultra has, non me-
 morantur in Scriptoribus partes Denarii aliæ.

Ut Æs proprie Pecuniæ, ita Argentea Moneta *Nu-*
morum nomine veniebat; quare Varro, post numeratam
 æneam Monetam, *in Argento Numi*, ait, *id a Siculis.* Idem

& ex

& ex Volusio colligitur, & ex communi veterum fermo-
 ne, in quo Numi, ἀπλῶς & solitarie positi, sæpe pro Ses-
 tertiiis, interdum tamen etiam pro Denariis capiuntur.
 Nempe, Cicero eadem Verrina 4. modo *quinq; millia nu-
 mium*, modo *quinq; millia Sestertiium*, dicit Scandilium adnu-
 merasse Apronio, jussu Verris. Plura exempla notavit Bu-
 dæus; qui tamen in eo non sequendus, quod semper,
 Numum absolute positum, Sestertium significare, con-
 tendit, ac Merulam & Calderinum reprehendit, pro Nu-
 mo Denarium alicubi interpretantes. Ecce enim Pli-
 nius l. 8. c. 57. Casilinum obsidente Annibale, venisse mu-
 rem *ducentis numis* tradit; pro quo apud Valerium l. 7. c. 6.
 ex. 3. venditum eum fuisse *ducentis Denariis*, legitur. Et
 consentit de Denariis Frontinus quoque l. 4. Strategem.
 c. 5. apud quem tamen, pro ducentis, corrupte, *centum*,
 occurrit, manifesto Librariorum vitio. In PONDERE *Dena-
 riorum* definiendo, quantæ tricæ sese offerant, Budæus,
 Agricola, Gronovius, si adeantur, manifestum facient.
 Nos planam & communem amplectimur sententiam, &
*veterum Denarios fuisse pondere unius Græcæ Drachmæ, ita ut
 septem eorum in unciam Romanam, octoginta quatuor in libram
 imputarentur*, asserimus. Veterum testimonia, quibus
 opinionem hanc, velut fulcris, stabiliamus, non longe
 quærenda sunt; & indicarunt ea Lipsius de re Num. p. 26.
 & Dalecampius ad Plinii l. 21. N. H. c. ult. Nam sic Celsus
 ep. ad Natal. *Græci Medici pondera medicamentorum ad Drach-
 mas redigunt: quæ, quia ad Denarium nostrum conveniunt, (octo-
 ginta enim & quatuor in libram incurrunt) pro nota Græcæ
 Drachmæ, notam Denarii posui.* Idem alibi scribit: *Sciri volo, l. 5. c. 17.
 in uncia pondus Denariorum septem esse.* Sic etiam Scribo-
 nius Largus in præf. operis: *Erit nota Denarii unius, pro
 drachma Græca: æque enim in libra denarii octoginta quatuor
 apud nos, quot Drachmæ apud Græcos, incurrunt.* Enim vero

F

varia-



variaturum deinde, & paulo leviolem cusum esse Denarium, cuiusmodi octo in unam unciam, nonaginta sex in libram computabantur, Lipsius ex istis Fanni versibus colligit:

*Centum hæ sunt Drachmæ; quod si detraxeris illis
Quatuor, efficies hanc nostram deniq; libram.*

Tempus, quo ab antiquo pondere recedi cœpit, certe nescire se, idem fatetur Lipsius: si autem Savoto credimus, post Neronem hoc accidit, quod ipse, numos inter se conferendo, librandoq; didicisse testatur. Fortasse haud a vero aberrabimus, si dicamus, novos hos Denarios in mente habuisse Plinium, cum l. 21. c. ult. scriberet, *Denarium drachmam Atticam, sive medicinalem*, quarum scilicet octo unciam efficiunt, æquare: ut proinde immerito hoc nomine a Dalecampio sit reprehensus; nam, profecto idem Plinius l. 33. c. 9. scripsisse deprehenditur: *Alii e pondere (Denarii) subtrahunt; cum sit justum LXXXIV. e libris signari.*

CAP. X.

Argentum, quod Romanorum Denariis materiem præbuit, erat valde probum. De differentiis bonitatis in Argento. Num Argentum ad summam puritatem redigi possit. Argenti non semper apud Romanos eadem fuit præstantia, & varie ei detractum. De Numis pelliculatis seu Bracteatis. Qui Serrati Numi dicti sint: & de illorum sine, missa Lipsii & Berneggeri opinione, nostra haviolatio. Qua Figura notati fuerint præsci argentei Romanorum Numi. An aliqui imaginem hominum retulerint. Præter impressos aliquos de Re Numaria libros, ii recensentur, qui extant MSS. in Bibliotheca Imperatoria.

Argentum, e quo primi Romanorum Denarii & Sester-
tiii conflabantur, verisimile est, eximiæ fuisse bonita-
tis, & ad summum culmen XII. Denariorum proxime ac-
cessisse; quod idem sentit nobiscum Patinus p. 79. & la-
pis

pis hoc probat lydius. In totidem autem gradus vulgo Artifices Argenti probitatem dispeſcunt, & XII. Denariorum Argentum, eſt puriſſimum illud, quod nullam habet æris aut ſtanni mixturam. Si autem v. c. Marcæ pars duodecima, ex æris mixtione fuerit, Argentum XI. Denariorum dicitur, quia duodecimus Denarius, non Argenti, ſed alterius eſt metalli. Denariorum quiſq; in XXIV. dividitur *Grana*; unde, cum dicitur, eſſe Argentum XI. Denariorum, & granorum XVIII. id innuitur, octavam, ſupra quadrageſimam iſtius maſſæ partem, eſſe æream, & VI. tantum grana deficere, quo minus omnibus numeris abſolutum Argentum dici poſſit. Conſilio autem diximus, acceſſiſſe materiam Denariorum proxime ad ſupremum bonitatis gradum: nam, *an Argentum omnibus numeris Denariisq; abſolutum, & cui ne hilum ſequioris metalli adhæreat, detur, & adeo num dari poſſit*, juxta cum ignariſſimis nos ſcire profitemur. Budæus pro affirmativa ſtat, facitq; cum eo Covarruvias de vet. numiſ. coll. p. 276. n. 6. ubi inſuper addit, puriſſimum putiſſimumq; hoc argentum ab Hiſpanis *Acendrado*, apud Sueton. in Nerone c. 44. & Jctum in l. 31. D. Locati, *poſtulatum*, ſive, ut in Florentinis legitur, *puſulatum* dici. Atque jam olim Agellius quoque 6. Noct. Att. c. 5. credidit, reperiri argentum, *omni aliena materia carens, omnib; q; ex eo vitiis detractis emaculatum & candefactum*. Aliter tamen Savotus part. 2. c. 10. & 11. animatus eſt, & ad Agricola, ac Molinaeum teſtes provocat, Argentum ultra undecimum Denarium & duodeviginti Grana depurari non poſſe. Quia vero eandem, quæ Budæo, etiam Matheſio mentem in 6. Conc. Sareptæ fuiſſe videmus, hujus quidem, tanquam rerum metallicarum peritiſſimi, major, quam adverſæ cauſæ Patronorum, apud nos eſt autoritas; qua utiq; ſuperamur, quia, ſecundum Chymicæ artis regulas, rei ipſius periculum

lum nobis facere non licet. Sed enim, apud Romanos non diu tam probi argentei numi, quales primos fuisse diximus, sunt cusi; quippe, Plinio l. 33. c. 3. autore, *Livius Drusus, in Tribunatu plebis, octavam partem aris argento miscuit.* Suffragatur Zonaras to. 2. Ann. *Ex multis Hieronis muneribus, (Romani) frumentum duntaxat & Victoriae signum acceperunt; quanquam adeo pecunia inopes, ut argenteum numum, prius impermistum & purum, aere admixto adulterarent.* Illa autem Drusi proportio, num semper exacte in Consulibus & primorum Imperatorum numis fuerit observata, nos quidem ignoramus, & magis est, ut existimemus, modo additum aliquid bonitati esse, modo detractum. Interim, generatim loquendo, sunt plerique omnes numi, ad *Caracallam usque, ex argento non spernendo.* Caracalla autem magnus monetæ fuit adulterator, & pro argento plumbum argentatum, pro auro inauratum æs supposuit. Dio l. 77. *Τῷ ἐν Αὐτονίῳ τὰ τε ἄλλα καὶ τὸ νόμισμα κίβδηλον ἦν. τὸ τε ἀργυρεῖον καὶ τὸ χρυσεῖον ὃ παρεῖχεν ἡμῖν, τὸ μὲν ἐκ μαλίβδου καταργουμένον, τὸ δὲ καὶ ἐκ χαλκοῦ καταχρυσουμένον ἐσκευάζετο.* Caracallæ peccatum videtur postea corrigere voluisse *Alexander Severus*, ob eamque causam credimus, eum in numis **RESTITUTOREM MONETÆ** salutari. Sed tamen & huius numi sunt nequisissimi: testaturque Savotus part. 2. c. 12. se illius numisma conflando deprehendisse, quod vix tertiam partem argentum absolverit. Qui Severum sequuti sunt Imperatores, adhuc vitiosiore dederunt Monetam, ita ut, *ad Tacitum usque, fere tota anea sint, quæ pro argenteis erogabantur numismata.* Cæterum, post Tacitum, ad *Heraclium usque*, emendatum est Monetæ vitium, melioresque numi cudi cœperunt. Nam Tacitus, sub initium statim imperii, *Vopisco teste, cavet, ut, si quis argento publice privatimque, æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis aeri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione.*

Pene



Pene obliti fuiffemus inculcare, etiam antiquiffimis temporibus, non tantum Monetæ argenteæ bonitatem fuiffe imminutam, verum fuiffe quoque, qui numos plane cuderent adulterinos. Ex his autem posterioribus notandi illi, quos Galli *Les Medailles Fourrées* appellant, quafi nos *NUMISMATA PELLICVLATA* diceremus. Ea, intus cum non nifi ferrea aut ærea fint, foris superinducuntur tenui lamina argentea. Veteres id genus artis *Ferruminationem* vocarunt; de qua Caffii verba producit Paulus Jctus in l. 23. §. 5. D. de rei vindic. *Dicit Caffius, fi ftatua fua ferruminatione junctum brachium fit, unitate majoris partis confumi: & quod femel alienum factum fit, etiam fi inde abruptum fit, redire ad priorem dominum non poffe. Non idem in eo, quod ad plumbatum fit, quia ferruminatione per eandem materiam facit confufionem, plumbatura non idem efficit.* Ferruminum numorum autorem quidam perhibent M. Antonium, refpicientes fine dubio ad Plinii quendam locum l. 33. c. 9. quo tamen, fi quid nos perfpicimus, non probatur, quod probandum erat: nihil enim ibi dicitur, quam quod *miſcuerit denario Triumvir Antonius ferrum*; quæ ut de bracteatibus extrinſecus numis accipere neceffe fit, nihil nos valde compellit. Extant etiam penes nos hujus generis numi; & certum eſt, artis plenum hunc fucum fuiffe. Sed Auro incruſtatos ejuſmodi numos nullos videas: quia dolus is non fuiffet dolus, quod aſtu coli non poſſet; levitas enim numi continuo fraudem prodidiſſet. Quippe Bodino l. 6. de Rep. c. 3. indice, *Aurum ferro tanto gravius eſt, quanto Senarius a Novenario ſuperatur, aut exactiſſima ratione 1551. ad 634.* Inter ferrum autem & argentum quia non tam ſenſibilis quoad pondus differentia, magis proclive erat, iſta metalla confociando, fucum facere. De reliquo, Antiquarii, quantum nobis conſtat, haftenus omnes penitus perſuaſi fuere, modum bracteatos Numos effingendi, Veterum fuiffe proprium, ac una cum ipſis

878

periisse, ita ut, qui illorum meminere, bracteatos hos Numos, ob inimitabile artificium, maximi facere, & veris solidisq; argenteis longe anteponeere suaserint. Verum fefellit eos opinio, & nunc a paucis annis Noribergæ, ac Augustæ Vindellicorum, in mentem venit quibusdam Artificibus, revocare in usum priscorum diu oblitteratam peritiam, quanquam in numis tantum memorialibus formæ prægrandis. Hic autem conatus successit felicissime, atq; Numos nobis dedere, non tantum ingenti specie, ob sculpturæ exquisitissimam elegantiam, cui ingenii acumen, quod in schematibus est, lenocinatur: sed & tam scite argento incrustatos, ut pro probis argenteis passim valerent, multisq; fraudi esse occiperent. Quapropter, necessitas horum Magistris imposita fuit, obviam ire malitiæ, & vestigium semper pusillum æris alicubi relinquere, quod cavere jubet, ne quis decipiatur. Obiter repræsentabimus ex his unum aliquem, & quidem omnium novissimum, qui nobis, dum ista scribimus, commodum offertur. Confidet in una parte super nubes densas Jupiter sævus, sceptrum manu tenens, Aquilamq; fulmineis pedibus & passis alis prope se consistentem habens, inter omnem populum Deorum: e quibus Mars & Neptunus omnium maxime, Pan tamen, Mercurius, Mulciber, Apollo, Juno, Diana, etiam præ cæteris eminent. Quid Jovi animi sit, quidve moliatur, docent verba superne adjecta:

INGENTES ANIMO DIGNAS JOVE CONCIPIIT IRAS,
CONCILIVMQVE VOCAT.

Infra scriptum est:

CONVENTVS FOEDERAT. PRINCIP.
PRÆSIDE GVILIELMO III. R. BRIT.
HAGÆ COMIT. CELEBR.
1691.

In



In altera pagina, Ara est pulcherrima, multo thure succenso referta, & notata verbis:

SAL. PVB.

S.

Adstant, dextras bona fide arctissime jungentes, Mars, galea, fago, gladio, clypeoq; armatus, & Concordia, vultu amabili prædita, quæ, altera manu, virgarum fascem colligatum complectitur. Mediam se his ingerit Prudentia, exerto indice digito manus dextræ monens, vehementer jam cauto opus esse: sinistræ ejus sceptrum inest, circaq; illud, (quod Maronis verbis dicere licet,)

Serpens convolvit lubrica terga.

Lemma adjectum est:

CONSILIO CONCORDIA ET FORTITVDINE.

Sub Ara, Artificis nomen P. H. M. comparet, ac *Philippus Henricus Mullerus*, Augustanus Civis, dignus utiq; a nobis nominari, significatur.

Extrema ora, ex novo invento, circumscriptum habet:

REX REGVM CONSVLTA DEVS FORTVNET
VBIQVE.

Jam porro, ut retro feramus pedem, nobis ex ipsa re incidit suspicio, ad veros Argenteos Numos, a Braçteatis dignoscendos, introductum fuisse, ut interdum proborum ambitus, ferræ alicujus instar, asperaretur: unde & SERRATORVM nomen, quod apud Tacitum legitur de Moribus German. c. 5. ac frustra aliqui, tanquam corruptum, sollicitant, natum opinamur; quales denticulati numi supersunt longe plurimi. Scimus, Lipsio & Berneggero visum fuisse, illas crenas ideo in numis effictas esse, ut ostenderetur, nihil in iis periisse, longo usu, & refectione. Sed, dicerent aliquid, si tam sibi

con-

In

constans delicatusq; esset ferratus ille ambitus, qualis in novis quibusdam minoribus Anglicanis Numis comparet, in ipsa effictione per vim expressus. E quo genere imprimis est celebris ille, quiq; multis rumoribus occasionem dedit, quem Carolus II. Rex procudit, & quem nobis etiam exhibere licet, habens in adversa parte Regis vultum, cum verbis, CAROLVS A CAROLO: in averfa, Britanniam sedentem, dextra manu florem, sinistra hastam tenentem, addita inscriptione: QVATVOR MARIA VINDICO. At, Romani Serrati, quia inæquales, ac non parum a se distantes, & sæpe etiam altas fissuras habent, ideo, si accurate quis eos numos scrutetur, animadvertet, minime illorum dentibus impediri, quo nihilo secius radi possint, scalpique. Non igitur huic malo medetur scabrities: illi autem, ne Ferruminatus numus pro puro puto argenteo obtrudi possit, quam optime; quippe ostendit, quales numi intus sint, & sub cute. Accedit, quod Serrati Numi, cæteris sui generis, semper leviores deprehenduntur; quia nimirum dentes sive crenas a lima incisas habent; ut sic necesse fuerit, iisdem pondus imminuere, non vero per illas id conservari potuit.

Antiqui ex Argento Numi, FIGVRAM ab una parte habent caput muliebre galeatum, quo Roma innuitur; ab altera, Bigas, aut Quadrigas; aut Victoriæ alatae, nuncstantis, alias curru triumphali vehentis, signum. Atque hinc *Bigatorum*, *Quadrigatorum*, & *Victoriorum* nomina, ipsismet Plinio l. 33. c. 3. & Festo id prodeuntibus, orta sunt. Horum priora duo, si Lipsio morem gerimus, non nisi de Denariis, postremum, de Quinario accipiendum. Sed Æneas Vicus l. 1. delle Medaglie c. 19. nullum discrimen, si nudas voces excipias, inter Bigatos, Quadrigatos, & Victoriatos agnoscit. Multi veterum Denariorum, Castorum in equis, etiam imaginem habent. Sed, progressu

gressu temporis, Magistratum, quibus cudentæ Mone-
 tæ munus commissum erat, paulatim crescente ambitio-
 ne, ut etiam Familiarum honores ex Sacerdotiis, Magi-
 stratibus, triumphis, aliisque actionibus, ad memoriam
 laudum domesticarum, & illustrandam quoque nobilitatem
 in numis signarentur, permissum fuit. Atque hic pror-
 sæ partes plerumque continent imaginem illius Dei, cu-
 jus ope & auspiciis res quæque magna credebatur peracta.
 De reliquo, num prolapsi ævi Denarii etiam vultus
 Consulium, Dictatorum, aliorumque Clarorum Virorum,
 aliquando exhibeant, dissensus est inter Scriptores. In Af-
 firmativam sententiam, præter eos, quos Vicus c. 10. no-
 minavit, inclinare quoque animadvertimus Joh. Augusti-
 num de Godoy Ponce de Leon, libro de las Antigüedades y
 Excelencias de Cordoua p. 39. & Vignerium in Annot. Gall.
 ad Liv. p. 1489. qui tamen postremus, quod Hispanus scri-
 ptor nude asserit, paululum limitat, & non nisi post illu-
 strum virorum fata, livore scilicet jam quiescente, eorundem
 imagines, libera adhuc Republ. in numis signatas esse,
 persuasum habuit. Enim vero contra Vicus pronunciat,
 gravissimum errorem esse, si quis dicat, ante C. Cæsarem ul-
 lius mortalium faciem in numis Romæ fuisse expressam:
 quam opinionem, quæ ipsius quoque est Fulvii Ursini in
 præf. Op. tanquam magis probabilem, nos etiam ample-
 ctimur. *Consulares Numos*, Hubertus Goltzius, secundum
 Chronologiam, laudatus Fulvius Ursinus, juxta Familias,
 digesserunt. Sed e Goltzii numis multos suspectos vi-
 deri, præter alios, Patinus quoque p. 100. sæpe commen-
 dati libelli asserit. Extant autem in universum Consula-
 ria Numismata MXXXVII. de quibus consulendus idem
 Patinus, libro de Familiis Romanis ex Numismatibus, quo
 Fulvium Ursinum, cum supplemento ex Antonio Augu-
 stino Episcopo Ilerdensi, restituit, recognovit, & auxit.

G

Est

ilis in
 mpa-
 enere
 casio-
 m no-
 s vul-
 versa,
 ra ha-
 MA-
 uales,
 ffuras
 anim-
 nihi-
 lo me-
 us pro
 quip-
 ccedit,
 viores
 is a li-
 ondu
 a parte
 tur; ab
 , nunc
 Atque
 omina,
 , orta
 is, non
 ndum.
 disci-
 igatos,
 iorum,
 d, pro-
 gressu

874

Est quoq; notatu dignum, extare, referente Petro Lambecio, Tom. I. Commentar. de Biblioth. Vindobon. in Bibliotheca Cæsarea, duo maximi pretii Volumina Manuscripta in Folio, quæ mera Numismata Consularia, incredibili studio & elegantia, ex archetypis depicta, continent; & a Celeberrimo Antiquario Cæsareo, Jacobo de Strada, Mantuano, Imperatori Ferdinando I. olim oblata fuerunt. Item, extare ibidem præterea alios VIII. ejusdem generis, ab eodem Jacobo de Strada adornatos, Tomos Manuscriptos: quorum tres priores Numismata Imperatorum Romanorum Latina, a C. Julio Cæsare, usq; ad Imp. M. Aurelium Claudium, qui post Gallienum & Valerianum juniorem imperavit; tres vero sequentes, eorundem Imperatorum Numismata Græca; duo demum ultimi, reliquorum Imperatorum, aliq; partim Græca, partim Latina, partim barbara antiqua numismata miscellanea continent.

CAP. XI.

Gradus struitur ad Auream Romanorum Monetam. Aureis numis merito principatus debetur. Quando illorum usus apud Romanos invaluerit. Aureus & Solidus vocabula promiscue usurpantur, idemq; significant. Solidus unde dicatur. Antiquiores Severo Imperatores aliqui, Solido minores aureos numos proculderunt. Ponderus Aurei Romani quale fuerit. Id Heliogabalus excessit. De Valore antiquorum Aureorum, & Charactere. Quale Aurum Romani in Moneta adhibuerint. Que sit summa Auri bonitas.

Non idem in Romanæ Monetæ, qui in Mundi Ætibus ordo est, & AVRVM, quod hic primum, ibi novissimum locum, sibi vendicat. Dejerat quidem Valerius Maximus l. 4. c. 4. per Romuli casam, perq; veteris Capitoli humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiam tum contentos, nobis persancte, nullas posterorum divitias, priorum Romanorum paupertati præferri posse. Sed est tamen, uti ille apud Comicum ait, paupertas onus miserum & grave; ac proinde non semper Romanicum ea conflictata-



fictari volebant, verum non Argento tantum, sed & Auro inhiare, atque hoc, tandem etiam in formandis Numis uti coeperunt. Accommodate ad nostrum institutum Isidorus l. 15. Origin. c. 19. *Apud Antiquos prius Æris quam ferri cognitus usus: Ære quippe prius scindebant terram; Ære certamina belli gerebant: eratq; in pretio magis æs: Aurum vero & Argentum propter inutilitatem rejiciebantur. Nunc versa vice jacet Æs; Aurum summo cessit honori. Sic volvenda etas commutat tempora rerum: & quod fuit in pretio, fit deniq; in nullo honore. Ovidius quoque i. Fast.*

*Æra dabant olim, melius nunc omen in Auro est;
Victaq; concessit prisca Moneta nova.*

Sed subest ratio, nec temere Auro nunc summus honos defertur. Huic enim rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisq; durante materia; quin imo, quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Porro, minimum ei usu deteritur, cum argento, ære, plumbo, lineæ producantur, manusq; fordescant, decidua materia. Super cætera, non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus. Jam, contra Salis & Aceti succos, domitores rerum, constantia: superq; omnia netur ac texitur, lanæ modo, & sine lana. Huic igitur Reginæ metallorum nunc operam paulisper demus. Aureus Numus (quæ Plinii verba sunt) post annos L XII. percussus est, quam Argenteus. Quæ, si vera est assertio, Aureos numos conflandi initium in A. V. C. D XLVI. quo C. Claudius Nero, & M. Livius Salinator Consulatum gesserunt, incidit. Quia enim argenteus numus cusus est A. V. C. CCCC LXXXIV. liquido alter & sexagesimus post istum annus, est conditæ Urbis D XLVI. Nec aliter computant Fulvius Ursinus, Lipsius, & Vignierius. Quamobrem fefellit Alexandrum Sardum calculus, quo, summam subducendo, non nisi A. V. DXLII. collegit. Interim, ut verum fatea-

G 2

Lam-
on. in
uscri-
studio
errimo
ri Fer-
aterea
natos,
npera-
M. Au-
nziorem
umis-
aliaq;
numis-

mis me-
nos in-
pantur,
ero Im-
Pon-
it. De
um Ro-

Etati-
bi no-
alerius
Capi-
etiam
n divi-
e. Sed
us mise-
ea con-
ficta-

fateamur, etsi Sardo cum Plinio, quod quidem ipse voluit, non convenit; tamen apud Livium aliquod ejus causæ est præsidium: Nam is l. 26. sub annis DXLIII. auri signati meminit. Verba sunt: *Omne Aurum, Argentum, Æs signatum, ad Triumviros Mensarios deferamus.* Sed hic dissensus levis est; nec animum in eo occupabimus. Cæterum priscis Romanis ex auro numus, sine alia fere appellatione, AVREVS dictus est; posteriores, SOLIDVM vocarunt. Illud probatione non eget; hoc, ut reliqua mittamus, vel ex Jure Civili patet, collatis inter se l. 47. in pr. de manum. test. & l. 9. de inoffic. test. nec non l. 2. C. de fideicom. libert. Item, si quis componat §. fin. Instit. de poen. tem. litig. cum l. fin. de in jus voc. Vel, l. 5. §. 6. D. de his qui dejec. vel effud. cum §. 2. Instit. de Obl. quæ ex quasi del. E quibus locis satis superq; patet, voces *Solidus & Aureus*, cum inter se permutentur, idem significare, & esse parissimas. Quæ vero origo sit vocis *Solidi*, non una omnium est opinio. Bodinus 6. de Rep. c. 3. multos in Gallia persuasos esse ait, *Solidum a Sole* dictum, & ideo Solis quoque characterem aureis Solidis in Gallia fuisse impressum. Rejecta autem penitus hac opinione, Solidum ipse dictum vult, quod ex purissimo auro conflaretur: nihil enim esse quicquam in universa rerum natura solidius, aut magis compactum; cum cætera omnia corpora vacuitates quasdam habeant inanes. Nobis placet Budæi sententia, qua l. 5. de Assè conjicit, Solidum tum pro veteri Aureo dici cœptum, cum Alexander Severus Imp. ex auro Tremisses & Semisses percussit. Quippe veteris Aurei nullas legimus partes; & primus eum secavit, ceu diximus, Severus. Operæ pretium est integrum Lampridii locum describere. *Vectigalia, inquit, publica in id contraxit, ut, qui decem Aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem Aurei præstarent, hoc est tricesimam partem.* Tuncq; primo



primo Semisses Aureorum formati sunt. Tunc etiam cum ad tertiam partem Aurei vectigal decidisset, Tremisses, dicente Alexandro, etiam Quartarios futuros, quod minus non posset, quos quidem jam formatos in moneta detinuit, expectans, ut, si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed, cum non potuisset, per publicas necessitates, conflare eos iussit, & tremisses tantum, solidosq; formari. Hæc Lampridius. Igitur Solidi ex eo dicti, quod integri Aurei essent; Semisses vero, quod conflarentur ex dimidia ejus parte; Tremisses, quod extertia. Neq; dictis officit, quod in veteri Edicto Ædilium Curulium l. 42. D. de Ædil. ed. & in Edicto Prætoris l. 5. §. 6. D. de his qui dejec. vel effud. Solidorum fit mentio. Nam Ulpianus, qui sub Severo vixit, citra omne dubium, pro Aureis, ad tollendam ambiguitatem, ne quis Tremisses & Semisses innui cogitaret, data opera Solidorum appellationem substituit. Ne autem quid diffimulemus, etiam, qui Severum præcesserunt, Imperatores, Drachmales aliquos Aureos procuderunt: quorum etsi apud Autores veteres mentionem fieri non recordamur; tamen bene multos Dominum de Fontenay possedisse, credimus Savoto part. 3. c. 24. Fuerint itaq; aliqui etiam ante Severum Semisses, saltem usus eorum tum non ita frequens erat, ac eo imperante: imo ne quidem, qui illum proxime exceperunt, Cæsares, valde ea moneta delectati videntur; eo quod etiam horum pauci Tremisses Semissesq; superant: qui autem post Constantinum, ad Heraclium usque, imperium administraverunt, tales nobis reliquere longe plurimos. De PONDERE Aurei Romani, Budæus, Agricola, Hotomanus, Scaliger, Salmasius, aliq; bene multi conspirant, fuisse didrachmum, sive quartæ partis uncia, sive duorum argenteorum denariorum; aut, quod idem est, duplo nostro Aureo majorem. Ut ita in moneta aurea, quæ Hispanis Pistola aut Pistolete dicitur, veteriq; Aureo, eadem

878

eadem ponderis sit æqualitas. Cl. Gronovius tamen l. 3. de Sestert. c. 8. iis, quos nominavimus, Viris se opponit, & Aureum Romanum, nostro, duplo & quasi dimidiato graviolem fuisse probat; quem consulant, qui in his *ἀνεξέ-
βαιον* sectantur. De cætero sciendum, *Heliogabalum* usita-
tum pondus in Aureis numis excessisse: nam formas bi-
narias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, at-
que amplius, usque ad bilibres quoq; & centenarias, inve-
nit. Has autem Alexander Severus resolvi præcepit, ne-
que in usu cujusquam versari, teste Lampridio in ejus vita.
Cui imperato in tantum mos gestus est, ut ne unus qui-
dem illorum prægrandium Aureorum ad nos pervenerit.

VALOREM *Aurei* clare expressit Dio l. 55. *χρυσὸν γὰρ
ἢ ἕγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε ἢ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμειον καὶ τὸ Πρι-
χάριον ἐνομάζω, i. e. Aureum ego quoq; numum illum, qui valet
Drachmas XXV. pro communi more appello. Hinc, pro eo, quod
est apud Suetonium in Othone: Quoties cæna Principem acci-
peret, Aureos excubanti cohorti viritim dividebat: & apud Plu-
tarchum in Galba: χρυσὸν ἐκάτω δηνέμων. Tacitus i. hist. ea-
dem sententia dixit: Quoties Galba apud Othonem epulabatur,
Cohorti excubias agenti viritim centenos numos dividebat.
Centum enim Numi XXV. Drachmas seu Denarios con-
ficiunt. Quod ad CHARACTEREM *Aureorum* attinet,
is nihil eximii habet præ denariis argenteis; nam iisdem
fere impressus fuit notis, quibus ex argento numismata.
Aurum, quod veteribus numis MATERIAM præbuit,
probum est & obryzum, ex fluminum ramentis quæsi-
tum, vel quod in metallis repertum, & igne perfectum,
recoctum profecit ad bonitatem. Si qui ergo Imperato-
rum, qui ante Alexandrum Severum regnarunt, e viliori
auro objiciuntur numi, sine tergiversatione, pro falsis
habendi sunt. Severus autem Imperator, Lampridio teste,
Alexandri habitu numos plurimos figuravit, & quidem Electreos
ali-*

aliquantos, sed plurimos tamen aureos. Est vero *Electrum*, Plin. l. 33. c. 4. autore, id *Aurum*, ubicunq; quinta argenti portio est, ejusq; scrobes reperiuntur, vel fit quoq; cura. Extat *Electri* mentio Ezech. I. v. 4. & 27. apud LXX. & Veterem Interpretem; itemq; §. 27. Instit. de Rer. Div. l. 7. §. 8. D. de acquir. rer. dom. & l. 4. D. legat. 1. Aureorum, quos primi Imperatores procuderunt, præstantiam, ex eo aestimare est, quod Bodinus l. 6. de Rep. c. 3. testatur, suo ævo Parisiorum aurifices & Præsidem Turetanum, bonitatis aureorum Vespasiani fecisse periculum, & constitisse, tantum deesse iis partem auri septingentesimam octogesimam octavam. Quod si verum, oportet decepti fuerint illi Præfecti Numulariorum, & Viri Monetales, qui Budæo L. 3. de Asser. persuaserunt, Aurum non nisi ad ultimi quadrantis quadrantem, id est, sextam & decimam unius Carati, vel totius massæ portionem trecentesimo octogesimam quartam, perpurgari posse. Enim vero, ut hoc quoq; moneamus, summa bonitas Auri est *XXIV. graduum*, qui *κεραττα*, sed vulgo, depravata nonnihil voce, *Carata*, proprie appellantur: atq; sic dupla graduum bonitatis Auri, ad Argentum, quod solos gradus habet XII. est proportio. Cujus differentiæ ratio, non tantum majus auri pretium, sed ipsa quoq; metalli natura est; latius enim quam argentum diduci, in numerosiores partes dividi, & plenius potest defæcari. Porro, singula Carata auri puri in *XXIV. Grana* Artifices partiuntur, & singula Grana in *XXIV. Garrovas* (sic exaranda vox est, communiter vitiose Charobas scribunt; est autem Hispanicum, imo potius Arabicum vocabulum, & *κεραττα* sive granum siliquæ denotat, das Körnlein im Johannesbrod/ oder Boxhornlein) secant; Garrovarum autem quamq; in *XXIV. Minutissima*. Igitur, quando e. g. dicitur, auri aliquam massam esse XII. Caratorum, id significatur, ejus alterum dimidium purum putum Aurum, alte-

n l. 3.
ponit,
idiato
S ane
usita-
as bi-
n, at-
inve-
it, ne-
s vita.
s qui-
enerit.
τῶν γὰρ
τὸ πῆ-
νι valet
quod
m acci-
id Plu-
ust. ea-
abatur,
videbat.
os con-
ttinet,
iisdem
ismata.
æbuit,
quæsi-
ectum,
perato-
viliore
o falsis
o teste,
Electreos
ali-



alterum æs vel argentum, prout nimirum vel ad rubrum, vel ad album (sic loquendum cum Artificibus) Liga facta est, constituere. Similiter, cum ajunt esse massam XVIII. Caratorum, & VIII. Granorum, intelligimus, tres illius quartas, & insuper octavam, quartæ supra vicesimam partis totius massæ, aurum absolvere. Non injuria queritur Bodinus 6. de Rep. c. 3. Aurifabros, rem, quæ longe clarioribus concipi poterat verbis, cimmeriis tenebris obscurasse, & eodem verbo, materiæ vim, pondus ac pretium, repugnante rerum natura, efferre. Quippe, pro auro quod XXII. Caratorum vocant, magis utique obvium erat dicere, massam auream librarum XXIV. cui duæ libræ æris argenteive admixtæ sint: aut brevius: Aurum, cujus duodecima pars ærea, aut argentea sit. Sed, fortasse pro iis, eadem, quæ pro Medicis, militat ratio, qui & ipsi, in dictandis remediis, sæpe verbis Arabum, & ponderibus ac notis Græcorum utuntur. Cæterum, Romani Aurei, declinante Imperio, & bonitate, & pondere paulatim defecerunt. Atque hinc intelligimus, quare Pomponius dixerit lib. 5. ad Sabinum, citante verba l. 28. D. de Usufr. *Numismatum veterum aureorum vel argenteorum usumfructum legari posse: & causa additur, quia posteriores pro gemmis iis uti solebant.* Nimirum, novi, qui tum cudebantur, ne comparandi quidem erant ad illos veteres: & simul, cum re Romana, etiam numi ab integritate sua desciverunt. De Foca Imperatore Zonaras, & Cedrenus queruntur, quod dupliciter Monetam immutaverit; primo in pondere: nam, cum antea numisma aureum hexagium penderet, ipse, tetartero excogitato, pondus imminuit: cumq; eo modo duplex numus esset, pensiones publicæ graviolem exigebant; minor, impendiis aulicis erogabatur. Deinde, etiam in valore, seu proportione, facta immutatio; etenim numos sua insignes imagine præferri, aliorum depressis pretiis, voluit. CAP. XII.

CAP. XII.

*Officina Monetæ erat Romæ Saturni templum. Extra Romam etiam
cusa Monetæ. De Triumviris Monetalibus, & quando consti-
tuti cœperint. Iis, sub Cæsaribus, successere Procuratores aut Præ-
positi Monetæ. De Schola Monetariorum, & eorum sub Aure-
liano seditione. Consilium de turbis ejusmodi impediendis.*

A *Πυροποπιέιον* five OFFICINAM MONETÆ Romanis
præbuit illud, de quo pridem nobis actum, Junonis
templum. Cum enim, uti est apud Suidam, Romani in bello
quod contra Pyrrhum & Tarentinos gerebant, pecunia indige-
rent, Junonis opem implorarent: quæ cum respondisset, non de-
futuram Pecuniam, si armis juste uterentur; & Romani quoque pro-
spere usi essent fortuna, Junonem Monetam venerari, & in ejus
templo Monetam cudere decreverunt. Neque sapientius quid
excogitari poterat, quam ut cudendæ monetæ præsens
interesset, & quasi media interveniret illa Diva, quæ Di-
vitiis præerat, ut, metu illius Numinis, Monetarii a fraude
& dolo absterrerentur. Cæterum, cum late ubique per
orbem terrarum arma sua circumtulissent Romani, non
sufficiebat cudendæ monetæ sola, quæ ad Junonis ædem
erat, officina, sed aliis, & quidem extra Italiam quoque,
opus erat. Hinc apud Plutarchum legimus, Lucullo id
negotii datum esse, ut pecuniam signaret in Peloponneso.
Lugduni quoque in Gallia Monetariam officinam Imperii
Romani fuisse, ubi Duces aureum numisma argenteum-
que signabant, Strabo l. 3. perhibet. Nec minus Apollo-
niam, Epiri civitatem, his usibus destinatam fuisse, e Cice-
ronis l. 13. familiar. ep. 29. discimus. *Pecuniæ conflandæ præ-
erant initio Populi Romani Magistratus: inde lex apud
Ciceronem 3. de LL. Minores Magistratus æs, argentum, au-
rumve publice signant.* Deinde TRIVMVIRI MONE-
TALES instituti sunt. Usu enim introductum, ut quot-
H annis

annis XXVI viri Populi suffragiis crearentur; ex iis constituebantur X viri stlitibus iudicandis, Triumviri Capiles, Quatuorviri Curatores viarum intra urbem; Duumviri Curatores viarum extra urbem; Quatuor Præfecti, qui in Campaniam mittebantur, & deniq; Triumviri Monetales. Hinc Pomponius l. 2. §. 16. de Orig. jur. *Eodem tempore & Quatuorviri (constituti,) qui curam viarum gerebant: & Triumviri Monetales, æris, argenti, auri flatores.* Frequens hujus Magistratus in aureis & argenteis numis mentio fit, literarum sequentium nota: III VIRI A. A. A. F. F. quarum postremæ significant, *Ære, Argento, Auro, Flando, Feriundo.* Consulendus Torrentius ad Horat. Ep. 4. & Cicero l. 7. fam. ep. 13. ejusq; Interpretes. Ciceronis locus, non recte perpenſus, videtur decepiſſe Vignerium, ut scripserit Annotat. in Liv. p. 1500. non, nisi paulo ante Ciceronis tempora, Triumviros Monetales creatos esse. Sed sunt citra dubium antiquiores, quod Pomponii locus indicat; cui, ceu Lipsius ad 3. Ann. Tac. recte conjicit, de A. V. C. DX. sermo est; eo enim Prætor Peregrinus, creari cœpit, quo eodem tempore introductos quoque Triumviros Monetales, Pomponius diserte pronunciat. Sub Principibus, Monetæ curam habebant PROCURATORES MONETÆ, vel PRÆPOSITI, ipsi COMITI SACRARVM LARGITIONVM subiecti; quibus subdebatur, cum liberis & uxoribus, huic ministerio addictum Corpus & *Schola Monetariorum*, seu, ut vetus apud Gruterum Inscriptio vocat, *Officinarum Monetæ, e Primiceriis, Secundiceriis, Ducenariis, Tertioceriis, Quartoceriis, Centenariis, Aurificibus specierum, Aurificibus Solidorum, Sculptoribus, & cæteris Aurificibus conflatum.* Consulenda l. 7. C. de Palat. sacr. largit. Horum autem tantus numerus & factio erat, ut, Aureliano imperante, ingentes motus concitaverint. Extat in eam rem, apud Vopiscum, ipsius Aureliani ad Ulpium

883
788

pium Crinitum missa epistola, qua, *Seditio intramurana*, inquit, *bellum mihi gravissimum peperit. Monetarii, autore Felicissimo, ultimo servorum, cui procurationem Fiscus mandaveram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum, & Ripariensium, & Castrianorum, & Paciscorum interemptis.* Felicissimus igitur, si ipsi credimus Aureliano, seditioni ferrum facemq; prætulit. Proinde perperam rem narrat Eutropius l. 19. qui turbarum initium, rebelles, a Felicissimi Rationalis cæde fecisse prodidit; quem Suidas sequutus est, cujus verba sunt: *Μονηταριοι οι περι το νόμισμα τεχνίται ο Ιππὶ Αυρηλιανῶ διεφθειραν τὸ νόμισμα, ἔμφύλιον ἐγείρασι πόλεμον.* Ex his patescit, sapiens fuisse consilium, quod Anonymus Scriptor, a Pancirollo & Frehero editus, Theodosio Imperatori suggessit: *Opifices Monetae, undiq; redactos, in unam Insulam congregaret, & societate contiguae terrae in perpetuum eos prohiberet.* Quippe, hac ratione, & seditionibus, & fraudibus illorum, omnium optime Imperator ire poterat obviam.

CAP. XIII.

Qualis apud Romanos modus fuerit Numos parandi. Is in desuetudinem abiit, & quæ ejus rei possit esse causa. Num extent duo Romanorum numi, per omnia similes, & qui ex eadem matrice prodierunt. Novum nostrum, ad rem accurate examinandam, inventum. Saturni templum valebat pro Ærario. Quis locus nunc in Urbe Roma ei respondeat. Ærarium aliud Commune, aliud Sanctius.

MODVM FACIENDI NVMOS, apud Veteres, ex Baronio Savotus part. i. c. 6. eum fuisse docet, ut primum liquefactum metallum typo formæq; infunderetur, atq; sic quomodocunq; effigiatus numus circumcirca limaretur. Calefactus deinde rursus usque ad molliem, iconio ferreo seu chalybeo subiciebatur, eoq; in-

H 2 fuso

con-
Capi-
um-
fecti,
Mo-
Eodem
e gere-
atores.
numis
. A. A.
Auro,
Ep. 4.
eronis
erium,
o ante
s esse.
nii lo-
njicit,
rinus,
ioque
nciat.
CVRA-
OMITI
batur,
Corpus
im In-
ecundi-
, Auri-
cæte-
Palat.
o erat,
verint.
ad Ul-
pium



cuso & adacto, novissimam accuratissimamq; accipiebat
 signaturam. Ista ratione effectam monetam esse, per-
 suadent non tantum verba illa, *Flando, Feriundo*, quibus
 id, quod volumus, plane significatur; sed & Romæ, ac
 Lugduni in Gallia, ipsæ effossæ sunt formæ, quæ liquefa-
 ctum æs recipiebant. Quibus accedit, quod, sine fusio-
 ne, illæ, in majoribus præsertim numis, figuræ tam cras-
 sæ & extantes fieri non poterant. Enim vero si commu-
 nem Antiquariorum sententiam sequimur, hanc Vete-
 rum solertiam mirari nobis datum est, sed imitari non
 item; & egregium illud, elegantiori specie usuales numos
 cudendi artificium, videtur amissum. Cujus rei causam,
 præter alias, hanc quoq; esse suspicamur, quod ista mo-
 netam constandi ratio videtur exegisse omnem nostram
 fidem excedentes sumtus. Unum enim idemq; iconium,
 quod, Cobergeo celebri pictore, apud Gassendum in vita
 Peireskii iudice, vix duobus effectum reddebatur mensi-
 bus, non longo poterat esse usui, quippe chalybs, vehe-
 mentissimum, qui machina trusatili fortasse fiebat, passus
 impulsus, ob nimiam soliditatem facile dissiliebat, aut
 saltem aciem iconii hebere mox necesse erat, ob numo-
 rum spissitudinem; quare subinde novis opus erat iconiis.
 Hinc adeo fit, ut in infinita veterum numorum, quæ su-
 perest, copia, vix semel atq; iterum duo conspiciantur nu-
 mismata, quæ, licet effigie, inscriptione, annoq;, atq; sic
 utriusq; quasi paginæ figura & icone conveniant, tamen
 gemina sibi sint, id est, ab eodem artifice, eodemq; instru-
 mento cusa & efformata. Afferit Vicus, esse, qui Roma-
 næ magnificentiæ, luxusq; meri hunc effectum fuisse sibi
 persuaserint, ut, uno iconio semel usi, continuo eum fru-
 statim conciderent. Sed, nulla probabilitate ista fingun-
 tur, & vera sine dubio causa diversitatis in numis ea est,
 quam indicavimus. Interea loci mirari quis possit, Ju-
 stum

stum Lipsium inter Admiranda Urbis Romæ, quæ peculiari volumine eruditissime recensuit, non retulisse rem hanc omnium stupore dignissimam. Et merito, nostra quidem sententia, Gronovius præf. lib. de Sestert. Homines veteris Romæ Græciæq; mirandorum cupidos, Monetæ nobilissimarum gentium inprimis attendere jubet. Hac vero ratione, a Patino, & iis, quos vir antiquitatis studiosus sequitur, secessionem hic facimus, pernimum eos dicere reputando, dum contendunt, non extare in universum duos Romanos numos, in eadem matrice efformatos, sed, pro infallibili signo capiendum, si duo admodum similes reperiantur, alterutrum illorum esse supposititium, & ad veteris imitationem effictum. Nobis enim Æneæ Vici sententia majore probabilitate se commendat, qui aliquando evenire ait, ut duo reperiantur numi (si ita loqui licet) homogenei; ac, Decianum, insignem Antiquarium, post adhibitam accuratam diligentiam, duos, tres, imo & quatuor ejusmodi nactum esse, serio asseverat. Scilicet, nullam videmus rationem, quæ evidenter persuadeat, esse penitus impossibile, ut quid horum forte accidat, quin potius, quod ii, qui aliter sunt animati, pro re facili habent, ut nimirum numus novus ad exactissimam veteris similitudinem exprimatur, id nos quidem inter ea, quæ nec sunt, nec fieri possunt, citra ullam hæsitationem, referimus. Cæterum, ad hanc sive similitudinem, sive dissimilitudinem explorandam, cum circini usum, quem solum, talium rerum curiosi, usq; ad hunc diem adhibuere, minime sufficere arbitraremur, novam viam invenimus, examen hoc instituendi. Scilicet, in mentem nobis venit, equinam setam adaptare ligillo recurvato, & quasi quendam arcum effingere: ea postea seta scrutamur minutissimorum punctorum in numis a se invicem distantias, quæq; rectis transversisq; lineis sibi

respondent omnia: atq; uti in numis ejusdem matricis, necesse est, æqualitatem semper sibi constare, ita, ad diversas ejusdem similitudinis effingendas matrices, nulla tam accurata adhiberi potest diligentia, ut una ab altera ne semel quidem iterumq; , vel latum pilum, recedat. Atq; hoc inventum etiam usum insignem habet, quoties Sigillum aliquod, verumne an adulterinum sit, in controversiam venit, litemq; sine ulla mora & confestim decidit. Qua in causa sæpe summum famæ vitæque hominum positum est momentum.

ÆRARII vicem, apud Veteres Romanos, præstabant *Ædes Magistratum*: hinc rursus apud Ciceronem: *Minores Magistratus domi Pecuniam publicam custodiunt*. Imprimis autem his usibus dicatum fuit illud, in quo Numi etiam procudebantur, *Saturni templum*, quod, infra eam partem Capitolii, quæ Rupes Tarpeja dicta erat, situm fuit. Qui locus, Jacobo Lauro in *Antiquæ Urbis Splendore* p. 40. id prodente, illi respondet, ubi quondam exstitit Sacellum, cum turri S. Salvatoris cognomento in Ærario, sive in Statera; & ubi nostra ætate Septimii Severi fornix conspicitur. Deposita autem fuit Pecunia in Saturni Æde, non tantum, ut loci religione sacra & inviolata esset; sed etiam, vel quia, cum Saturnus rerum potiretur, fraus, furtum, rapinæ, peculatus, ignota erant nomina: vel, quia ab eo primus in Italia signatus numus est. Videndus Plut. in *Rom. Probl.* c. 42. Porro, *Duplex fuisse Ærarium*, docet lex un. C. de *Quæst. & Magist.* Horum unum *Commune* videtur dici posse, *Exterius* scilicet *Fanum*, in quod *Reip. Censuræ & ordinaria tributa* recondebantur, & unde fiebant publicæ largitiones. Alterum *Sanctius*, in interiore parte, ultimis *Reipublicæ casibus* destinatum servans pecuniam. Livius l. 37. fidem facit: *Cætera, ait, expedientibus, quæ ad bellum opus erant Coss. aurum vicesimarium,*

rium, quod in Sanctiori Aëratio, ad ultimos casus servaretur, promi placuit.

CAP. XIV.

De Imperatorum Numis nunc deinceps quedam afferuntur notabilia. Julii Caesaris fastus, quo divinos honores affectavit. Eius rei argumentum, quod Numi illius imagine primum signati. Idem, alia circa Monetam immutavit. Caesaris institutum circa imaginem, in Numis exprimentam, imitati sunt Successores. Imperatores & Senatus aliquandiu divisum tenuerunt Monetæ jus. Nostri ævi Monetæ temerariis, opponitur priscorum circa illam sanctimonia. Quales Asperi Numi dicti sint. Exempla Numorum a Senatu sub Imperatoribus usorum. Trajani indulgentia.

Diximus, quæ de Origine, Progressu, Materia, Speciebus deniq; Romanæ Monetæ, dicenda erant, omnia. Illud nunc superest, ut, si quid, præter ea, quæ per occasionem jam allata sunt, circa IMPERATORVM NUMOS peculiari observatione dignum occurrit, breviter attingamus. Principio notandum, cum Senatus, Magistratus, & Legum, atq; a Majoribus institutorum, apud Romanos vilescere inciperet autoritas, solus autem C. Cæsar emereret, jam, uti nunquam consistit Superbia, ubi cœpit, sed postquam inter homines nihil par, nihil secundum habere sibi videtur, vel ipsius Olympi Rectorem invadit, ita hac grassari via Cæsarem quoq; sustinuisse. Non enim sufficiebat ei summa, qua in Republ. pollebat, autoritas, sed cumulus abunde omnibus, quos Senatus Populusq; in eum conferre poterant, honoribus, Magni Alexandri instar, cujus, quam apud Gades in Herculis templo viderat, sacra imago, tantopere animum suum ad æmulationem accendit, humanæ fortis oblitus, Diis proprios honores affectavit. Hinc thensa, & ferculum Circensi pompa; hinc templum Clementiæ Juliæ; hinc aræ, simulacra juxta Deos, pulvinaria, flamenq; Antonius;

Suet. c. 76.



Sueton. in
Jul. c. 6.

tonius; hinc Luperci, appellatio Mensis ex suo nomine, imo ipsius quoq; Jovis cognomentum. Nec deerat ratio, quæ recte probeq; ista deferri posse, rudi populo ex facili persuaderet. Quod enim ipse Cæsar, in Amitæ laudatione pro Rostris jactavit, *Amitæ ejus Julæ maternum genus ab Regibus ortum, Paternum cum Diis immortalibus conjunctum erat.* Ergo, quia in natalibus ejus, non modo Sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, sed & ceremonia Deorum erat, jam non latura gravius erant cognata Numina, si quis humano augustior honos ei decerneretur. Atq; talis etiam fuit, quod illius imagine Pecunia signari cœpit; hoc enim pridem apud Romanos solis Diis, & Romæ æternæ fuit tributum. Ut autem eo melius voto de notandis suo vultu numis Cæsar potiretur, eam causam credimus, quare, ceu autor est Suetonius in vita, cap. 76. Monetæ peculiare Servos præposuerit. Fallimur, an ob eandem quoq; rationem numerum Præfectorum Monetarium ampliavit? Pro Triumviris enim, ipse Quatuorviros constituit, quorum in ejus numis frequens mentio, uti Goltzii tomum de Cæsare inspicientibus patebit. Placuit Cæsaris consilium in tantum Octavio Augusto, ut in numis non vultum tantum, sed & thema suum natalitium vulgaret, numumque argenteum nota sideris Capricorni percuteret, Sueton. c. 94. Julii Cæsaris, & Augusti institutum, omnes deinde imitati sunt Successores, novoq; electo Principe, statim novam ejus vultu ornatam Monetam effingi cœpisse, ex Marcellini l. 26. histor. colligitur. Quod ut commode fieret, id ante omnia enixe operam dedisse novum Principem, ut sua imago ab optimo pictore delinearetur, quo Monetarii exemplar sibi ad imitandum sumerent, ex Chrysofostomi homil. 42. in S. Ignatium, conjecturamus. Ait enim

ζωγράφου ἀριστος ποικίλα κερύσας χρώματα, ἣν αὖ μέλλη βασιλικῆς μορφῆς

μορφῆς πρωτότυπον κατὰσκευάζειν εἰκόνα, μὲν πάσις ἐργάζεται τῆς
 ἀκρίβειας, ὥστε τὰς μιμημάτων αὐτὴν ἀπαντᾶς ἢ γεγραμμένης ἐξ αὐ-
 τῆς διηκριβωμένην ἔχειν εἰκόνα. *Pictor egregius colores varios com-
 miscet, ut exemplar imaginis regia, quam expressurus est, ita
 diligenter conficiat, ut, qui eam imitaturi sunt, omnes habeant,
 quam sequantur.* Post Augustum, nulla amplius Triumvi-
 rorum, aut Quatuorvirorum Monetalium, in numis ex-
 tat memoria; quod penes Cæsares suprema esset cuden-
 dæ Monetæ potestas. Cæterum verisimile est, ipsos Im-
 peratores, in suis Aulicis & Palatinis Officinis, Aurea tan-
 tum, & Argentea cudisse numismata: atque, ne de omni
 sibi adempta potestate Senatus quereretur, hoc illi con-
 cessum fuisse, ut ærea ipse flaret, feriretque. Cujus rei
 efficacissimum argumentum est, quod plerisque æreis nu-
 mis nota S. C. impressa cernitur, quæ literæ in Aureis &
 Argenteis neutiquam apparent; imo ne quidem in istis,
 quibus inscriptum: S. P. Q. R. OB CIVES SERVATOS:
 qualis noster Galbæ. Atque hoc manifestum indicium
 est, nullos tales, Senatus autoritate, post Cæsarem fuisse
 excusos. Confirmat hanc opinionem vehementer, quod
 supra e Lampridio notavimus, Heliogabali numos aureos
 Alexandri Severi jussu fuisse conflatos. Quibus nunc ac-
 cedit Dionis locus l. 60. qui autor est, Senatum, cum Cali-
 gulæ memoriam damnatam vellet, omne illius æreum
 numisma conflare jussisse: τῆ ἢ δὴ τῆ Γαίῃ μνήμη ἀχθίμενοι, τὸ
 νόμισμα τὸ χαλκῆν πᾶν ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτῆ ἐνπιτυπωμένην εἶχε, συγ-
 χωνευθῆναι ἔγνωσαν. ἢ ἐπεράχθη μὲν τῆτο. Nimirum, æreos
 tantum Caligulæ numos conflare Senatus jussit, quia in
 argenteos & aureos nullum ei jus erat. Quapropter, cum
 Aurei Heliogabali abolendi essent, ipsius Severi autoritate
 opus erat. Atque hinc, ex occasione, colligimus, quare
 tanta hodie Caligulæ æreorum numorum sit raritas:
 imo & causam simul assequimur, cur veterum numorum

integri pene supersint acervi, & indies quoque ex ruinis, parietinis, sepulchrisq; plures eruantur. Non enim, uti hac tempestate, numi antecessorum Principum ab iis, qui succedunt, plerunq; recuduntur; quin & Aurifabri omne pecuniæ genus conflare, & in promiscuum manupretii usum convertere, per summum scelus, audent, ita idem quoq; olim fiebat: sed, ne quis quid ejusmodi committeret, graviter interminabatur Lex Cornelia, cujus violatæ reus erat, *si quis numos aureos, argenteos, adulterare, lavare, conflare, radere, corrumpere, vitiare, vultuve Principum signatam monetam, præter adulterinam, reprobare præsumpsisset*: Paulus I. Sent. tit. 25. §. 1. Principum quoq; Constitutionibus deinde cautum fuit, ne injussu Imperatoris a quoquam hoc fieret, l. 12. 13. C. Theod. de Suscept. Præpos. & l. 1. C. Th. Si quis pecun. conflav. Atque hæc leges usque adeo fuere observatæ, ut etiam posteriores Imperatores, quamvis declinante Imperio, & exhausto fisco, potius tamen, quam priorum Principum numos conflarent, & suo iconio recuderent, monetam ex deteriore argento facere maluerint. Ratio interdicti in eo posita est, ut *Æternales illi Vultus*, quemadmodum non invenuste vocat lex fin. C. de Vet. num. potest. inventione etiam Diis invidiosa, immortalitatem haberent, & præsentem esse semper, videri a posteris, videndiq; ab his minoribus tradi possent. Eandem ob causam, nec Statuas aut Imagines Imperatorum consecratas, citra Majestatis crimen, conflare fas erat, l. 6. D. ad L. Jul. Maj. Unde, *cum Marcellus apud Tiberium accusaretur, quasi in statua, amputato capite Augusti, Tiberii indidisset, ad id adeo exarsit Tiberius, ut, rupta taciturnitate, proclamaret, se quoq; in ea causa laturum sententiam, palam & juratum, quo cæteris eadem necessitas fieret*: Tac. I. Ann. Non igitur nisi Tyranni, & pestes humani generis, hac ignominia afficiebantur, ut & illorum numi, & statuæ conflarentur,

tur, & corrumpentur. Prius ex dictis constat: de Statuis
testimonium perhibet lex 4. §.1. D. ad L. Jul. Maj. *Crimine
Majestatis liberatus est a Senatu, qui Statuas Imperatoris reproba-
tas conflaverit.* Juven. Sat. 10.

--- *Descendunt Statuae, restemq; sequuntur:
Ipsas deinde rotas Bigarum impacta securis
Cedit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam strident ignes, jam follibus atq; caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus, deinde ex facie, toto orbe secunda,
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patella.*

Apposite Hieronymus Comment. in c. 3. Habacuc. *Cum
Tyrannus detruncatur, imagines quoq; ejus deponuntur & Sta-
tuae, & vultu tantummodo commutato, ablatoq; capite, ejus fa-
cies, qui vicerit, superponitur.* Illud tamen observamus, ve-
teres nimis attritos numos, & in quibus longius usus re-
rum memoriam deleverat, aliquando fuisse conflatos. Sic
enim capimus illud Dionis in Hadriano: *Τὸ τε νόμισμα πᾶν
τὸ ἐξίτηλον ἐξεχωνεύσει;* ubi eos sequimur, qui *ἰξίτηλον νόμισμα,
lave, & evanida nota,* non autem, qui *adulterinum* inter-
pretantur. Ex Suetonio enim discimus, dedisse operam
Veteres, ut numos bene percussos & recentes, quos ASPE-
ROS ii vocabant, possiderent: ita ut Nero, etiam ingenti fa-
stidio & acerbitate, tales exegerit; quod est in ejus vita
c. 44. Quin & Creditores in paciscendo cavere sibi solitos
fuisse, ut eo genere numorum debitum solveretur, omnino
Senecæ locus ep. 19. docere videtur, nequicquam refragante
Lipfio: ait vero: *Sed movebis mihi controversiam, si te
novi, nec voles, quod debeo, nisi in aspero & probo accipere.* Non
autem solum haud conflare licebat bonorum Principum
numos statuasque, verum reverentia quoq; eadem, quæ
Deorum signis, iis præstanda erat. Sueton. in Tib. c. 58.

Paulatim hoc genus calumniae eo processit, ut haec quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum servum cecidisse: vestimenta mutasse, numo vel annulo effigiem impressam latrinae aut lupanari intulisse. Conferri potest Seneca, lib. 3. de Benef. c. 26.

Ergo, ut ad id revertamur, unde modicum recesserat oratio, sub primis Principibus, Senatus quoque Numos cudendi jus habuit, & uti Statuas, Effigies, Arcus, & id genus alia, Imperatoribus, sive primum electis & inauguratis, sive praecclare deinde res administrantibus, ita & numos aereos iisdem decrevit. Hinc, in numo Vespasiani cum Amphitheatro, clare: DIVO AVG. VESPAS. S. P. Q. R. Causae quoque decernendi, in ipsis numis, signis vocibusque saepe exprimuntur: veluti in his Augusti: OB CIVES SERVATOS. QVOD PER EVM RESPVB. IN AMPLIORE ATQVE TRANQVILLIORE STATV EST. QVOD VLAE MVNITAE SVNT. In Germanici: SIGNIS RECEPTIS DEVICTIS GERMANIS. In Nervae: FISCO JVDAICI CALVMNIA SVBLATA. PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO &c. Hoc loco tamen *Cesar Trajanus* excipiendus videtur, in cuius Aureis quoque & Argenteis numis, etsi literae S. C. non reperiuntur, creberrime tamen haec occurrit inscriptio: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI: ut proinde eum e nobilioribus quoque metallis numos signandi Senatui veniam dedisse, merito quis colligat. Quod, ex singulari temperamento, quo dignitatem suam fortunamque moderabatur, & per quod aequatam Diis potestatem, summamque comitatem, res olim diversissimas, junxit ac misuit, sine dubio profectum. Caeterum, oppressa tandem penitus, per Principes, Republica, Senatusque autoritate veluti capite deminuta, factum est, ut omne numi genus, etiam aeneum, a Principibus ipsis cuderetur. Aut sane, imminuto continuis bellis aenario, parum auri argentiq; super-

supererat : ut proinde ipsi Principes, si quos numos signare
 vellent, ære uti cogerentur, aureos vero argenteosq; nu-
 mos minus crebro effingerent. Atque hinc est, quod in
 posteriorum Principum, circa Constantini tempora, nu-
 mis æreis, nunquam amplius nota illa antiqua S. C. appa-
 reat. Nec aliunde Aureliani, Probi, Constantini, Helenæ,
 Crispi, & Constantii, minorum ex ære numorum in-
 gens numerus : qui ansam præbuit Regulæ Antiquario-
 rum : qua Priorum post Augustum, Imperatorum, minora ; po-
 steriorum, inde a Claudio, majora ex ære numismata, sollicitius
 conquirere jubent.

CAP. XV.

*Quales, præter Imperatorum, in Numis vultus compareant. Albino,
 Odenato, & Belisario id tributum, ut Numi cum illorum imagini-
 bus percuterentur. Posteriores interdum priorum effigies in Numis
 restituerunt. De Numis, qui Viros Claros commonstrant. Liceti
 Numus ansatus describitur.*

Sic ergo sibi solis, ceu dictum est, Imperatores hoc jus
 sumpserunt, ut vultu suo numos signarent; nec injus-
 su Principis, citra Majestatis crimen, alios in iisdem effin-
 gere fas erat. Quare, cum milites, Commodo, Perennii
 quædam numismata attulissent, *καταπαύσθαι τὴν ἑπιπέσειν
 εἰκόνα*, pœna gladii in eum fuit animadversum; ut est apud
 Herodianum l. 1. c. 9. Interim, ita jubentibus Principi-
 bus, eorum, quos Successores Cæsaresq; declaraverant,
 Matrum quoq; , Conjugum, Sororum, Fratrum, Libe-
 rorumq; eorundem, deniq; illorum, quibus impense fa-
 vebant, imaginibus Numi fuere notati. Testimonium
 in hanc rem luculentum iterum suppeditat Herodianus
 l. 2. c. 15. quippe Severus, ut Albinum, exercitibus Britan-
 nicis præfectum, sibi conciliaret, astu hominem, commu-
 nicato in speciem Imperio, decepit, atq; , quo omnia credi-
 biliora

talia
 enta
 nari
 erat
 mos
 & id
 au-
 ta &
 fiani
 S. P.
 oci-
 CI-
 IN
 AT V
 nici :
 In
 ATA.
 &c.
 n cu-
 non
 otio :
 am e
 ni ve-
 ulari
 ode-
 sum-
 c mi-
 dem
 itate
 enus,
 fane,
 ntiq;
 per-

biliora forent, numis imagine ejus percuti jussis, τὴν δολει-
 σαν χάριν Ἰνισώσαν, fidem gratia sua fecit. De Gallieno Tre-
 bellius Pollio scribit, quod Odenatum, participato Im-
 perio, Augustum vocaverit, ejusq; monetam, qua Persas
 captos traheret, cudi jussit; idq; Senatam, & Urbem,
 & omnem ætatem, gratanter accepisse. Cedrenus au-
 tor est, Justinianum numos cudisse, in quorum altera
 parte sua, altera Belisarii visebatur imago, atque huic
 addita fuisse verba: GLORIA ROMANORVM. Ha-
 drianum Imperatorem ea dementia cepit, ut Antinoo
 suo, muliebria pati sueto, Urbem, templum, & statuas
 dedicaret, numosque aureos, argenteos, & æreas, illius
 imagine, proceret; quales hodie supersunt. Viden-
 dus Adolphus Occo in Numismat. Impp. p. 166. Quod
 superest, notandum id quoq;, à posterioribus Imperato-
 ribus nonnunquam priorum imagines numis fuisse im-
 pressas; quod de Tito, Domitiano, Nerva, & Trajano in-
 primis observare licet. Inde in numis, IMP. TITVS,
 aut DOMITIANVS &c. RESTITVIT. Extant etiam
 numi veteres, Pythagoræ, Lycurgi, Apuleji, Apollonii
 Thyanei aliorumq; Clarorum Virorum, notati imagini-
 bus, quos memoriæ potius causa, quam ut in commercio
 essent, conflatos credimus. Verisimile fit, in hunc cen-
 sum referendum quoq; esse Numum, quem Licetus l. 6.
 de reconditis Antiquorum Lucernis c. 23. ostendit: in cu-
 jus anteriori parte caput muliebre, posteriore vero Lu-
 cerna, in formam cymbii efformata, exprimitur, ora vero,
 additam ansam plenam, non intus vacuum, habet. De
 qua re sic ipse Licetus: *E limbo Numi prominet, ad latus infe-
 rius, triangulare quasi manubriolum, nusquam alias a me conspe-
 ctum in numis, qui semper habentur exactæ rotunditatis in peri-
 pheria, consultis etiam nobilissimis ac peritissimis Antiquariis.*

CAP. XVI.

Quæ Numorum in Provinciis cuforum fuerit ratio. De discrimine artificii, quod in Numis notatur; & de causa depravationis tum illius, tum & statuarie artis.

PROVINCIIS, Romano Imperio subiectis, concessum etiam fuit sub Cæsaribus, suam ferire monetam, sed fere ex ære tantum, & ea lege, ut Imperatorum vultus semper in iisdem exprimerentur: ab adversa autem parte, vel templi, vel cuiusdam Divi, vel alterius rei simulacrum, pro arbitrio, sine nota S. C. fuit additum. Multæ quoq; Coloniae, omisso signo, ejus loco diferte inscribere: COL. ROM. PERM. DIVI AVG. vel, PERMISSV CÆSARIS AVGVSTI: quod observant Don Rodrigo Caro en las antiguedades y Principado de la Ciudad de Sevilla l. i. c. 22. & Don Juan Augustin de Godoy Ponce de Leon en las antiguedades de Cordoua disc. 5. Omnium primis Arelatensibus id videtur a Justiniano concessum fuisse, ut non Imperatoris imaginem, sed suum insigne, numis insculperent. Procopius l. 3. de bello Goth. *Ut Gallias Germani haberent, Justinianus permisit; ex quo tempore Principes Germanorum Massiliam, & cætera circa id mare loca tenuerunt; unde & Arelæ resident. Aureum numum nativo e Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine, sed sua impressa, qui erat Genius, forma hominis alati percussus.* Præterquam autem, quod non nisi ærei sunt Provinciales Numi, carent quoq; arte, nec eam, quam Romæ cusi, habent speciem. Idem enim olim quoq; fiebat, quod hodie accidit, ut nimirum optimi artium Magistri Aulas Principum sectarentur, quo & per ora hominum ferrentur, & laboris dignum præmium referrent; quippe ibi fructus est, alibi operahuditur. Peropportune autem hic sese offert occasio docen-

docendi, ne ipsorummet quidem omnium Imperatorum omnes numos ejusdem esse artificii, sed multum inter eos intercedere discriminis. Idcirco sciendum, ab Augusto usq; ad Alexandrum Severum viguisse sculpendi artem. Quippe liberalitas Augustorum acuebat Artifices, ut proferrent se illorum ingenia, & ostentarent. Inde, qui hac ætate cufi sunt numi, plurimum tales deprehenduntur, ut queant Magistrorum oculos tenere, delectare imperitorum. Inter hos ipsos tamen, Caligulæ, Claudii, Neronis, & Hadriani numis principatus debetur, tanquam consummatae artis speciminibus. Post Severum, quasi pestilenti quodam fidere afflari bonæ artes cœperunt, & inter cæteras quoque illa Monetalis, nec deinde nisi infabre sculpti numi occurrunt. Quanquam non repugnamus, quo minus ad numos quoq; parandi artificium quis extendat ea, quæ de Statuaria, eleganter tradidit Cardinalis Baronius tom. 2. Annal. ad A. C. 303. n. 116. cujus verba merito locum hic sibi vindicant: *Est plane observatione dignum, quomodo, crescente numero Christianorum, ars quoq; statuaria exoleverit: nam ejus facultatis opifices omnes propemodum ad Christianam fidem conversi, indignum rati opinari Deos, quos ipsi manibus sculpsissent, mori potius delegerunt, quam Deos, vel sacrandæ Diis, effigiarent: sicq; ars statuaria sculptoribus fere omnibus destituta, penitusq; collapsa remanserit. Est quidem ejus rei evidens atq; præspicuum omnibus argumentum, quod, quæcumq; visuntur Romæ hujus temporis statuæ, crassæ Minervæ esse noscuntur, ab antiquioribus longe dispares. Sint in exemplum, (ut de singulis dicere prætermittamus) quæ visuntur ab omnibus in Arcu triumphali, qui post paucos annos, ob debellatum Maxentium, erectus est Constantino, quem & ob inopiam sculpturæ artis opificum, ex Trajani & M. Aurelii memoriis, aliisq; nobilioribus Urbis monumentis, majori ex parte oportuit construxisse: reliqua vero, quæ tunc fuerunt elaborata, adeo rudia atq; infor-*

898

seculis Constantino vetustioribus; sed in iis, ex sententia Pignorii ep. 24. compendiaria ratione, nomen alicujus, qui Monetam curavit, v. g. Christodori, Chrysaori, Chremetis, Chryfantii, Chrysippi significat; vel, quod Cl. Rupertus noster in Orat. Hist. p. 798. arbitratus est, signum est ΧΡΗΣΤΗΡΙΟΥ, seu Oraculi Jovis Ammonis. Hæc autem nota postea, a profano usu, ad pium sacrumq; a Constantino (ita pleriq; volunt) translata, & hieroglyphica facta est NOMINIS AC NUMINIS DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI. Neq; tantum in Numis, sed etiam in summo pedi Episcopalis, titulis Monumentorum, Lucernis fictilibus, & Collaribus Servorum, fuit expressa: atque hinc Julianus Apostata, quippe Christi acerrimus hostis, *Osor X.* a Christianis Antiochensibus dictus est. Adeundi Licetus de recond. antiq. lucernis l. 3. c. 8. & Pignorius de Servis p. 15. Qui post Constantinum imperarunt, frequenter eandem notam hieroglyphicam, nonnunquam etiam ipsum Crucis signum, in Numis expresserunt; etsi modo non uno. Jam enim ingens crux conspicitur, ferto circumdata: jam, Victoriæ minorem crucem manu levant; jam ipsi Imperatores vel nudam gestant, vel cum globo, cui est infixæ: qua posteriori ratione, in progressibus quoque publicis, crucem præferebant. Joh. Curopalates lib. de Offic. Aulae Constantinop. *Από μὲν ἐν τῶν παλαιῶν φορημάτων φορεῖ ὁ βασιλεὺς ὅτι ἀνὸς βέλτοιο, τὸν δὲ γε στευρὸν ἐν δεξιᾷ φέρει αἰεὶ. i. e. E reliquis quidem gestaminibus, gestat Imperator, qua voluerit cunq;: crucem autem dextera semper gestat.* Atque ab eo ritu etiam nunc crucifer ille globus inter sacri Imperii est Insignia. Quippe, pii Principes, eandem sibi, quæ Paulo, mentem esse, ostendere volebant, & quisq; eorum cum illo quasi profiteri: *Ἐμὲ ἢ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ στευρῷ ἔκρυψεν ἡμῶν ἰσοῦ χερσῶν.* Cui addi potest illa quoque ratio, quam

ape-



aperuit Suidas in Justiniano, cum inquit: Ἐποίησεν τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐπὶ κίονος ἐφ' ἵππου, καὶ τῇ αὐτοῦ δεξιᾷ χειρὶ φέρει σφαιρᾶν, ἐμπροσθεν δὲ σταυρὸν ἐν αὐτῇ, ὑποσημαίνοντι ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως, τῆς γῆς ἐγκρατῆς γέγονε. i. e. Justinianus imaginem suam posuit super columnam in equo. Ea sinistra manus fert globum, cruce in eo fixa, significante, quod per fidem in crucem terræ dominus sit factus. Memorandum hic omnino, id, quod supra de nota ✠ diximus, eam olim a Gentilibus fuisse adhibitam, de ipsa simplici cruce quoque sic se habere. Hanc in rem illustre testimonium est Rufini l. 2. Hist. Eccl. c. 29. *Signum Dominicae crucis, inter illas, quas dicunt ἱεραγικὰς, id est, sacerdotales literas, habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex cæteris literarum, quæ apud illos sunt, elementis. Cujus literæ seu vocabuli hanc esse asserunt interpretationem: VITA VENTURA.* Nota insuper Historia, de Crucibus Ægyptiis, præter Socratem & Sozomenum Ecclesiasticos Scriptores, Suidæ in voce σταυροῦ memorata: quomodo nimirum, Theodosio imperante, cum fana Gentilium diruerentur, inventæ sint in Serapidis Templo hieroglyphicæ literæ, habentes crucis formam; quas videntes Græci, qui Christo addicti jam erant, *Crucem*, apud peritos hieroglyphicarum notarum, dixerint significare *Vitam Venturam*. Suffragantur Obelisci, variique generis monumenta Ægyptiaca alia, de quibus cum cura disquirunt Laurentius Pignorius Mens. Isiac. c. 3. Athanasius Kircher. Obelisc. Pamphil. l. 4. hier. 20. & Joh. Baptista Cafalius part. 1. de veter. Christian. ritibus c. 1. Et vero, extabat apud Amplissimum Virum, Eliam Brackenofferum, Reip. Argentoratensis XVvirum, numus Domitiani argenteus, in cujus anteriori facie Domitiani capiti laureato circumscriptum: CÆS. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. in averfa parte, Domitianum deno-

ria
ui
re-
Cl.
fi-
nis.
nq;
ly-
NI
fed
to-
uit
citi
bus
nis
nti-
gly-
in
in-
riæ
res
po-
cem
on-
levs
iquis
ucem
unc
uip-
esse,
pro-
veis
uam
ape-

tat figura sedens in corona, caput galero tecta, tunicam induta manicatam, cinguloq; correptam, & ad ima vestigia defluentem; dextrâ quid instar cordis protendens; lævâ, qua *crucem immissam* lateri applicat, lunæ dimidiatæ, pede autem sinistro, in puppim liburnæ innixa. Ejus ænigmatis (quod nonnulli perperam ita interpretati sunt, quasi Domitianus hoc monumento de Christiana Religione, postquam illam sævissimæ persecutionis clade afflixisset, trophæum erigere voluerit, & cujus, si Hornio in Histor. Eccles. p. 79. credimus, numus extat cum inscriptione: **NOMINE CHRISTIANORVM DELETO**) verum sensum, peculiari Dissertatione, **ULRICVS OBRFCHTUS**, Vir, & literarum gloria, & munerum dignitate Illustris, velut ex tripode, exposuit, & simul eruditissime.

CAP. XVIII.

CHRISTI SERVATORIS imago Numis quoq; *quidem modo non uno, illata. A quibus, & quando id factum sit. Item, ob quam causam. De S. Helene Numis Scutulatis, vulgo parum cognita afferuntur; quæ tamen vix vero favent. S. Chryostomi vulgata lectio adversus Ducaem asseritur. De Auri virtute, & usu ejus pro medicamine.*

PROCESSU temporis, ipsa **SERVATORIS IMAGO** Numis fuit insculpta, & quidem modo, ut lateri Imperatorio assisteret, & diadema ei imponeret, ad exprimendum scilicet titulum illum, quo *Θεοσεβης*, five a Deo Coronatos, se vocabant; quod, illorum æmulatione, etiam Carolo M. acclamatum legimus: modo, ut, averfa numi parte, librum vitæ teneret, cum inscriptione, **IHESVS CHRISTVS REX REGNANTIVM**. Nonnulli quoq; Imperatorum, penitus omiffa sua imagine & titulo, Christum solum insculpserunt, cum literis **IC. XC. E M M A.** i. e. Jesus Christus Emmanuel. Ibi averfa pars nonnunquam has literas, **IHESVS XPISTVS BASILEVS BASILEON,**
 alias

901.

alias Crucem complectitur, notabili magnitudine, cujus quatuor, quos vacuos relinquit, angulis inscriptum: IC. XC. NI-KA. Evolvendus Ant. Augustinus dial. r. p. 19. Prioris instituti, quo & Christi, & Imperatorum imagines simul in Numis fuere expressæ, autor ignoratur. Strada, libro de vitis Imperatorum p. 265. Justiniani, illius nimirum, qui Justini junioris nepos fuit, quemque Tiberius II. sub initium regiminis Collegam fecerat, deinde vero exautoravit, aureum numum nobis sistit, qui, in uno latere, Christum thorace tenus commonstrat, dextræ manus indice digito exerto, quasi silentium & audientiam imperantem, læva tenentem librum Evangeliorum, cum inscriptione: IHS. CHRISTVS REX REGNANTIVM. Alterum latus occupat ipse Justinianus integer, diademate crucifero caput tectus, Cruci magnæ, basi infixæ, manum admovens: circumscriptum: DN. JUSTINIANVS SERVVS CHRISTI. Ab eo tempore, Christi imago, in Basilii Macedonis, Alexandri, Stephani & Constantini fratrum, simili habitu; in Constantini vero Heraclii filii, & Leonis III. tota, & sellæ infidens, apud Stradam conspicitur. Quoniam autem multo crediderunt, primum omnium Johannem Zimiscem, Christi icone numos suos notasse, ob ista Cedreni verba: Προσεπέξε ἢ ἐν τῷ νομισματι ἢ ἐν τῷ ὀβόλω ἐγγράφει τὸ Σωτήριον, μὴ πρότερον τέτρα γινόμενον. Idcirco, ut tum Cedreni dictis, tum Stradæ Numis autoritas constet, dicendum, Zimiscem primum solam Christi imaginem, sua neglecta, repræsentasse. Atque sic sane numi, quos ille dedit, in adversa parte Christum, in averfæ medio, Græca hæc, IESVS CHRISTVS BASILEVS BASILEON, characteribus Romanis scripta, exhibent. Zimiscæ institutum, magno cum applausu & approbatione, a Successoribus receptum fuisse, inde patet, quod Zonaras tom. 3. Ann. Isaacum

902

Comnenum graviter perstringit, quia, illo neglecto, suam rursus imaginem numis insculpsit. Hoc enim volunt ista: *Comnenum, firmato Imperio, adeptionem ejus non à Deo, sed sibi adscripsisse, ex eo apparet, quod in numis suam imaginem stricto ense insculpendam curavit, tantum non clamitans, eum sibi, nec quicquam aliud, Regnum peperisse.* Atque hæc verba rationem simul suppeditant, quare Christi imago a Zimisce numis fuerit impressa. Nimirum, ut ostenderet, se Deo acceptam ferre potestatem, & esse se Imperatorem, *sola*, uti nostri nunc loquuntur Principes, *Dei gratia*. Proinde, si qui Inferiores Principes tum cudendæ Monetæ jus habebant, eos non Dei, quippe a quo *ἀπέτασ* non erant constituti, sed summi, a quo dependebant, Principis vultu, numos signare potuisse, ratiocinando inferimus.

Cæterum, iis, quæ de principio numorum, qui Christi effigiem in se ostendunt, hætenus differuimus, officunt illa HELENÆ CONSTANTINI MATRIS NUMISMATA, quæ circumferuntur, scutulata plurimum, & in quorum parte altera, Constantini M. & ipsius Helenæ, in altera vero Servatoris imago deprehenditur: ut sic ipsi primi Christiani numi, Domini nostri vultu signati fuerint. Antonius del Castillo, Monachus S. Francisci, & Commissarius Hierosolymitanus Generalis per Univerſa Hispaniarum Regna, qui, postquam in Palæstina, ipsoq; Servatoris nostri Sepulchro, complures annos egerat, post suum Anno 1665. in Hispaniam reditum, vernacula lingua Madriti librum edidit, inscriptum: *El devoto Peregrino y Viage de tierra Santa*: In eo mira, imo miraculorum plerissima, de Helenæ Numis nobis narrat, quæ Latino sermone recitare non pigrabimur. Nempe, ait, Helena, Constantini M. Mater, ex multorum opinione, quingenta amplius Tempia in Terra Sancta excitavit, ut scilicet in unoquoque loco, ubi Christus mysterium ali-

- quod

903.
p. 10.

quod peregerat, aut miraculum ediderat, rei monumen-
tum extaret. Cæterum, major pars illorum templorum
hodie desolata & everfa jacet; cujus rei causa nulla præ-
ter Christianorum peccata. Enim vero, jure quis quæ-
rat, unde & tempus, & pecunia S. Helenæ suffecerint, ad
tot, atq; tanta templa fabricanda? Nam, si solum Bethle-
hemitanum, Sacro Præsepi, & Hierosolymitanum, San-
ctissimo Sepulchro, superstructa, quis spectet, nullæ ho-
die vires tantæ videntur, ut simile quid possint conari.
Ipsa enim horum templorum multitudo, copia gemma-
rum, columnæ ex porphyrite, tabulationes cedrinæ, &
musiva, quibus ornantur, opera, tecta insuper, omnia
sunt ejusmodi, ut admirationem pariant & stuporem.
At tollit omnem difficultatem dubiumq; summum mi-
raculum, quo Deus Divam Augustam beavit. Sicubi enim
pecunia egebat, sumpta forte argilla, digitis eam compri-
mebat, sicq; actutum in monetam æream convertebatur,
quæ hinc Servatoris, inde Constantini Imperatoris, ac
ipsius Augustæ imaginem referebat; ita tamen, ut si quis
stantem erectum Servatorem in prorsa parte consideret,
in adversa Imperatoris & Divæ capita illius pedibus re-
spondere deprehendat. Amplius & hoc S. Helenæ con-
cessum fuit, ut æream monetam in argenteam, argen-
team in auream commutaret: nam, leviter subacta argil-
la, primum in numum æreum, mox in argenteum, & de-
niq; in aureum convertebatur. Isti numi in summa sunt
æstimatione, non tantum propter Indulgentias, quibus
gaudent, sed & mirificam illam vim, quam Servator no-
ster iis indidit. Inter cæteras autem duæ sunt palmaria
illorum Virtutes. Fugant enim Cacodæmones, & su-
spensi ex collo τῶν Δαίμονιζομένων, faceffere cogunt Satha-
nam. Deinde medentur quoq; contra dolores cordis, &
morbum epilepticum. Atque ego, experientia edoctus,
ido-

fuam
t ista:
ibi ad-
to en-
, nec
ratio-
misce
eo ac-
a, uti
nde, si
is ha-
t con-
u, nu-

Christi
offici-
MIS-
, & in
æ, in
ic ipsi
i fue-
sci, &
iverfa
ipsoq;
gerat,
nacula
to Pe-
mira-
, quæ
e, ait,
nionne,
vit, ut
m ali-
quod



904

idoneus ejus rei testis sum; quippe, cum unum & alterum
ejusmodi numum possiderem, insignium & mirifica-
rum curationum sæpe autor fui. Notandum autem, re-
periri supposititios ejusmodi numos, quos Judæi effin-
gunt; nam, verorum difficulter copia est, effodiuntur ta-
men, vel e terra, quando aratro exercetur, vel ex ædium
ruinis. Descripserat eosdem Helenæ Numos, ante An-
tonium del Castillo, & circa initium hujus seculi, nostras
quoq; Michaël Heberer, l. 2. Servitutis Ægyptiacæ c. 49.
sed ita, ut, si conferantur utrorum relationes, haud le-
ves dissensus sese offerant. Quippe hujus verba sunt:
Man findet an vielen und unterschiedlichen Orthen zu Konstantis-
nopel / wann man in den Gewölbern und sonst in gräben / in der
Erden kuppferne Münzen / ungefährlich in der Grösse wie ein ge-
meiner Rechenpfenning / darauf ein Weibsbild zu sehen / aber ohne
einige Schrift / und etwas eingebogen / als wann es mit dem Dau-
men also wäre gedruckt worden. Diese Münz geben die abergläu-
bischen Griechen vor / sie seye von St. Helena / in grosser Theu-
rung und Nothzeiten / aus puren Letten oder Erden gemacht wor-
den / ihren Vatter (legendum Sohn) Constantino aus No-
then zu helffen / und dieweil eines Weibs Bildnus darauf zu sehen /
halten sie solches für St. Helena Bildnis / und derowegen solche
Münzen für ein groß Heiligthum / und ein sicher Remedium für
hitzige Fieber und andre Kranckheiten / wer solche Münz eine bey sich
trägt. Non patitur instituti ratio, prolixam de Helenæ
his mirabilibus Numis instituere disquisitionem. Illud
unum dicere sufficiat, valde eorundem pretium & æsti-
mationem per id elevari, quod, cum tot extent Historici,
qui Constantini & Helenæ res literis mandarunt, nullus
tamen tantorum prodigiorum, quæ Helena manibus
suis operata esse dicitur, vel leviter mentionem injiciat.
Non Eusebius, qui libros V. de vita Constantini conscri-
psit: non Socrates, Theodoretus, Evagrius, Rufinus, Eu-
tropius,

tropius, Paulus Diaconus, Orosius, Beda, Zonaras, Ni-
 cephorus, Cedrenus, & adeo nemo etiam his multis se-
 culis posterior, imo ne Vincentius Bellovacensis, Cardi-
 nalis Baronius, & Laurentius Surius Carthusianus Mo-
 nachus, quidem, diligentissimi cæteroqui rerum a Sanctis
 gestarum prædicatores. Sane, existimet quis, quod ha-
 tenus numorum autoritati decedit, abunde reparari
 per vim mirificam, quam iis inesse Alphonsus del Ca-
 stillo nobis testatur. At nemo eorum, quæ in vita ac-
 cidunt, tam expers est, ut nesciat, quantum superstitione,
 imaginationi conjuncta, in morbis quibusdam valeat.
 Apud S. Chrysostrum homil. 21. ad Pop. Antioch. le-
 gitur, quod quidam etiam veterum Christianorum, si cui
 male esset, Alexandri Macedonis, capiti aut pedi, alligan-
 do numos, medicinam fecerint: nec tamen ex eo homo
 pius sanusq; concludat, divinum aliquid inesse numis Ale-
 xandri; quin & eam opinionem graviter Chrysostrum
 improbat. Animadvertenda autem obiter est lectionis
 in Chrysostrum diversitas. Interpres, *Aurea Alexandri Nu-
 mismata* habet; pro quo in textu est *χαλκὰ*, quod Ducaeus
 in Notis præfert, tanquam plurium Codicum autoritate
 firmatum. Nobis autem, cum insolens non sit, unius
 exemplaris scripturam contra omnes alias probare, prius
 placet; nam, vel nulla, vel paucissima Alexandri ærea nu-
 mismata in omni ævo extitisse, ex supra dictis revoca-
 mus in memoriam. Præterea, in Amuleti Auri crebrior
 usus est; Æs adhibetur rarissime. Quanquam posset quis
 opinari, illis & Helenæ, & Alexandri numis, veram me-
 dicinam factam esse; sed non quia hac aut illa notabantur
 imagine, verum quia aurei erant. Inest enim ipsi Auro
 vis quædam ad morbos depellendos, quam ii, quorum
 capti sunt superstitione animi, impressæ figuræ impru-
 denter attribuunt. Plin. l. 33. Hist. Nat. c. 4. *Aurum plu-
 rimis*

rimis modis pollet in Remediis, vulneratisq; & infantibus applicatur, ut minus noceant, si quæ inferantur, veneficia. Ex Codice MS. Bibliothecæ Noribergensis, qui de Natura Rerum inscribitur, & de cuius Autore non constat, sequentia aliquando e libro 15. hinc inde nobis excerpimus: *Aurum lepram curat & scabiem, redactum in pulverem & mixtum antidoto. Vulnus ex auro factum non corrumpitur in tumores. Aurum virtutem habet confortandi & depurgandi. Aurum valet ad elephantiam passionem, & cardiacam, & syncopen, & splenem, & in frigidationem stomachi. Vinum, ex quo extincta sunt lamina aurea, valet splenetico. Cum ustura debent fieri, melius valent, si fiunt cum instrumento aureo, quam alio. Aurum contra diem frigescit: & sic cognoscunt homines aurum habentes in digitis, quando diescit. Conferas cum his licet, quæ Cardanus differit l. 8. de Rer. Variet. c. 44. Verbo addimus, illam Antonii del Castillo observationem, qua, in Helenæ numis, hujus & Constantini capita Servatoris pedibus velut supponi docet, valde jejunam videri: prorsus quasi non simili ratione, cum Constantinum & Helenam quis intueri vult, Christi quoq; effigies deprimeretur, ad imos istorum pedes.*

CAP. XIX.

Numos, Imperatorum vultu notatos, rerum emendarum instrumentum fuisse, contra quam Erizzo voluit, certis argumentis ostenditur. Cobergeri quoq; dubitationi satisfit. De Monetariorum quondam copia & conditione.

Numis, de quibus hætenus egimus, plerisq; omnibus, & adeo etiam illis, qui Imperatorum vultus exhibent, Veteres pro communi in rebus emendis, vendendisq; instrumento usos esse, nulla nunc restare videtur dubitatio. Etsi enim Erizzo in libro, Discorso sopra le Medaglie, aliter censet, solosq; numos, qui Pecudum, (tales autem

907
800

autem fortasse nulli jam extant) vel Jani figuram habent, Victoriatos item & Consulares pro moneta habet; quotquot autem Imperatorum, Augustarum, Principum Liberatorum, Cæsarumq; vultum referunt, ex hoc censu eximit: tamen Æneas Vicus, & Ludov. Savotus, argumentis, autoritatibusq; gravissimis, frustra eum esse, evidenter probarunt; quorum scrinia non compilamus. Potius iis, quæ ipsi in medium protulere, nostram symbolam addimus, duo Juris Civilis testimonia inculcando, tam perspicua, ut vel sola negotium queant conficere, & omnino omnem tollere dubitationem. Nempe, liquido provocamus ad l. 1. C. de de vet. num. pot. quæ Valentiniani & Valentis Impp. rescriptum est; ejus hæc verba sunt: *Solidos, Veterum Principum veneratione formatos, ita tradi ac suscipi ab eumentibus, & distrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur, modo ut debiti ponderis sint, & speciei probæ.* Succedit Cap. 20. Pragmat. Sanct. Justin. ubi inter alia: *Sancimus, Solidos Romanorum Principum forma signatos, sine permutationis dispendio, per omnes Provincias ambulare, & per eos celebrari contractus.* Conferre cum his oportet Leonis VI. Imp. Nov. 52. & illa legis Corneliæ verba, quæ ex Paulo J Cto supra dedimus. Neq; vero, ut a sententia nostra recedamus, efficiet Cobergei in vita Peireskii l. 2. p. 56. argumentum, quo, ob nimium pretium iconiorum, quæ in feriendis numismatibus Imperatorum adhibebantur, fieri non potuisse existimavit, ut illa in monetæ usum promiscuum cederent. Quam immensa enim Monetariorum apud Romanos fuerit multitudo, pridem ex Vopisco probavimus; qua, procul dubio opus non fuisset, si eadem apud veteres, quæ nostro ævo, monetæ cudendæ fuisset simplicitas: atque illam hominum turbam ex publicis redditibus vixisse, fortasse dicendum est. Adde, quod vilis quondam conditionis erant Monetarii, & inter eos referebantur, qui



abjecta officia tractabant, ita ut ad honores aditus iis non pateret, & parum a Servis distarent; quod clarissime patet ex l. 1. 7. & 13. C. de Murileg. item l. 6. C. de Dignitat. item Leonis VI. Imp. Basil. l. 6. tit. 1. c. 22.

CAP. XX.

Probatum Studii Rei Numariae Jucunditas, & Utilitas summa. Hæc non tantum ad cognitionem Antiquitatis & Historiarum, sed & vitæ disciplinam, ac Musas severiores sese porrigit. Ab ipso Servatore nostro id eruditionis genus accepit commendationem. Opinio est, futurum quoque Brutis voluptati. Duo illius strenui Vindices in Noribergensi Vrbe laudantur.

ERgo ratum esto, eos veteres, quos possidemus, numos, maxima sui parte, (aliquos enim nosmetipsi excepimus) quondam in commercio fuisse, longe aliter atque hac ætate contingit, qua eorum usus in communi vita est sublatus. Non tamen ea propter desipere existimandi sunt, qui hanc ipsam feneſtutem, quæ in homine venerabilis, in Urbibus sacra est, etiam in Numis reverentur, illosque magna cura, sumptuque colligunt, & per ætates, ac ordines disponunt. Nam, **HOC REI NUMARIÆ STUDIO, NULLVM LIBERO HOMINE DIGNIVS, NULLVM JVCVNDIVS, NULLVM, AD RES VICTORIS TERRARVM ORBIS POPVLI PROBE COGNOSCENDAS, EST UTILIVS.** Sumpsit hoc Argumentum sibi tractandum, Vir omni laudum præconio dignus, **EZECHIEL SPANHEMIVS**, idque pro ea, qua pollet, singulari eruditione, gnaviter persecutus est, egregio ac spisso libro, cui, *Dissertationum de Præstantia & Usu Numismatum antiquorum*, titulum fecit, & quo omnes, qui ante ipsum istam materiem persecuti sunt, longe post se reliquit. Hic igitur consulendus fuerit. Nos interea loci, ne quid temere dixisse videamur, paucis asserto fidem conciliabimus. Principio autem illud concedi

cedi nobis postulamus, ex omnibus, quæ prisci condi-
dere, monumentis, nullum Numis nostris æque felix, æ-
que fuisse durable. Adeat quis Romam, & truncas man-
casq; veterum Statuas,

*Ac Curios jam dimidios, humerosq; minorem
Corvinum, & Galbam auriculis nasq; carentem,*

quotidie aspiciet. Fatiscunt tabularum crustæ; jacent se-
mesa columnarum frusta; Arcus triumphales, situ muscoq;
obsitos, magnarum arborum stirpes diffidunt; Deum fa-
na, Thermæ, Theatra, Domus Cæsarum Urbis purgamen-
tis destinantur, & Cipporum, qui olim superbe vias præ-
texebant, per agros sparsa fragmina, nullos pedes in fron-
tem, nullos retro, & nec sacri quid amplius habent, nec
religiosi. At vero, communis velut rerum antiquarum
naufragii reliquæ, Numi sunt, quorum infinita millia su-
perant, & supererunt, usque donec fracti collapsiq; Or-
bis sepelientur ruinis. Imo, esto, effugerint quoq; gu-
lam voracis temporis statua quædam, & alia Antiquo-
rum opera; jam, ut olim Corinthum, ita hodie Romam,
petere, omnibus haud licet, & paucis ista videre, possi-
dere contingit paucissimis. At, sparsi per omnes Natio-
nes Numi, Curios facile se spectandos offerunt, & quod
caput est, publice profunt. Nimirum, Numi nobis mon-
strant universam Romanorum Religionem, Deorum Dea-
rumq; nomina, Epitheta, Simulacra, Templâ, Aras, Æ-
des, Ludos, Dies festos, Sacerdotes, Vasa sacra, Sacrificia.
Monstrant porro omnem Militiæ veteris ordinem, Le-
gionum nomina, signa Cohortium, Arma, equitandi mo-
dum, paludamenta, sagula, bigas, trigas, quadrigas, &
currus triumphales. Quæ Virorum, quæ Mulierum Ve-
stes, quæ Instrumenta Musica, quæ genera Coronarum,
quæ officia Domus Augustæ Privatæq;, quæ quondam

Artes, quæ Negotiationes fuerint, ex Numis discimus. Licet in iis, incredibili cum voluptate, spectare formas Ædificiorum, Theatra, Amphitheatra, Circos, Pontes, Sepulchra, Portus. Habemus in iis Civitates occupatas, Provincias debellatas, Nationes devictas, Colonias missas, Municipia quoq; Fluvios, Lacus; & obscura tota vetus esset Geographia, sine ista face. Præstant Numi vicem Librorum Genealogicorum Romanæ Nobilitatis; sunt Fasti Consulium; sunt Nomenclatores Dignitatum & Magistratum; sunt Indices Collegiorum, Corporum, & Ordinum. Id quod res est scripsisse Dionem, cum l. 68. primum inter Imperatores Hadrianum barbam nutritivisse prodidit, numi, ut credamus, faciunt: in quibus cujusq; Imperatoris habitum oris, imo & mentis, si *φυσιογνωμοσίμης* rudes non sumus, oculis usurpamus. Continent insuper eorundem Imperatorum res domi militiæq; gestas; vera illorum prænomina, nomina, cognomina, & agnomina. Continent Conjuges eorum, Liberos, Honores, Victorias, Triumphos. Continent annos gestæ potestatis, Allocutiones, Congiaria, & post fata Consecrationes. Atque, si rem recta nobiscum reputamus via, velimus, nolimus, fatendum est, meliori jure de Numis prædicari posse, id quod de Historia jactavit Tullius: Numi enim vere sunt testes temporum, lux veritatis, vita memoriæ, nuntii vetustatis. Quippe, cum ipsa re simul nati, non narrationem ejus tantum continent, sed & testificationem. Quotusquisq; Historicorum non aliquando dormitavit? Ecquis inter eos non interdum, ab odii aut amoris impetu, in transversa agi se passus est? Adhæc mutila & corrupta illorum ad nos pervenere monumenta, & sæpe glossema e margine in ipsum se insinuavit textum. Ab his omnibus vitiis immunes Numi sunt; & multa quoq; quæ nemo unus Historicorum tetigit, in iis deprehendas.

Adde

944

Adde, quod Numi formam veram pingendarum literarum, quod Orthographiam, quod pressas acutasq; concipere docent Inscriptiones. Nec ad elegantio rem tantum literaturam conferunt Numi, sed & ad Civilem Prudentiam, & ad bene vivendum. Ajunt, Celebrem quendam Jctum, cum in thermis valetudinem curaret, omnibus libris destitutum, ex folis, quæ ad manum habebat, Numismatibus, de jure forte consulentibus, respondisse: quod nemo vocabit in controversiam, qui cogitat, continere numos divinarum atq; humanarum rerum notitiam; quæ ipsa Jurisprudentiæ ab Ulpiano tradita est definitio. Narrat Æneas Vicus l. i. c. 15. aliquos se novisse, quos solius Rei Numariæ studium, ad Virtutem, a perdita luxuria revocaverit. Nimirum, Figuræ illæ Numis impressæ tantam vim habent, ut, memoriã rerum pulchre gestarum, flamma egregiis viris in pectore creseat, nec prius fedetur, quam ad similem famam atq; gloriam evaserint. Quanquam, quid verbis opus est? Ipse Omnipotens Servator noster, JESVS CHRISTVS, hoc unum & solum, ex omnibus humanæ eruditionis studiis, præcipue sacrasse videtur, cum *ἡ δὲ ἐκείνη νομισματικὴ Πραξαφῆς ἢ εἰκὼν*, Numismatis census superscriptione & imagine, Judæos ita confutaret, ut ne hiscere amplius auderent. Quin & nos quoq;, Domini & Præceptoris nostri prementes vestigia, etiam nunc valido e numis argumento, multum ad convertendos misellos homines sine dubio proficeremus, nisi pervicacia eorum esset *γενῆλατ*. Nam, alioqui permovere eos utiq; posset, ut in se descenderent, quando Fl. Vespasiani conspiciunt Numos Argenteos, in quibus figura muliebris humi mœsta ad trophæum sedet, & additur, JVDÆA; aut Æreos, in quibus mulier gemens plangensq; sub palma confidet, adstante feroce milite, inscriptum autem, JVDÆA CAPTA S. C. Qui-

nus.
s Æ-
Se-
atas,
mis-
ve-
i vi-
atis;
m &
um,
l. 68.
viffe
jusq;
οὐκ ἔστι
super
; ve-
omi-
s, Vi-
tatis,
ones.
s, no-
dicari
enim
oriæ,
nar-
nem.
tavit?
mpe-
cor-
sæpe
Ab
uoq;
endas.
Adde



Quibus quidem numis nos, præ omnibus antiquis, pal-
 mam, qua etiam notantur, damus, & quos solos magni-
 fice efférimus. Isti, inquam, scrupulum injicere debe-
 rent, cum calamitosissimæ genti visendi sese offerunt,
 mentemq; illorum subit, quod inde usq; ab universo il-
 lo tempore, quo numi hi percussi sunt, per tot ætates,
 tot annorum secula, *sparsi, ut cum Tertulliano in Apologet.*
loquamur, palabundi, & cæli & soli sui extorres, per orbem sine
homine, sine Deo, Rege, vagantur: & nec dum umbra aut vel
οὐδὲν ὄντα καὶ τὰς ἐδαμνωμένους π, apparet ejus, quam a tanto
 tempore expectant, tot precibus, tot jejuniis a Deo ex-
 petunt, Redemptionis. Propemodum audebimus dicere,
 ipsis Brutis animantibus vim & sensum quendam, ad de-
 lectationem ex Numis capiendam, inesse, si magister ad
 eam rem probus accederet. Quippe, quod Gassendus in
 vita Peireskii lib. 2. prodidit, hujus Patruī, cui Claudius
 nomen erat, fidissimus Canis, illius *defuncti feretrum as-*
sectatione perpetua circumstitit, nec potuit per plures dies amo-
veri a tumultu, & postquam domum reductus fuit, coram icone
diu constitit.

Cum igitur tanta Rei Numariæ sit jucunditas, utilitas-
 que, num adeo mirum, si non doctrinæ tantum & ingenii
 dotibus, sed & generis & fortunæ splendore ornatissimi
 Viri, Numorum contemplationi sese adserunt, atque hoc
 est illorum negotium, hoc otium, hic labor, hæc quies,
 inq; hoc vigilia, in hoc etiam somnus, quantum aliæ oc-
 cupationes concedunt, reponitur;

Hor. 2.
Carm.

--- *Regnum, & diadema tutum*
Deferendo uni, propriamq; laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Speclat acervos.

Tales

Tales, si uspiam locorum, in Alma Noribergensi Urbe, sunt Summi Viri, CAROLVS WELSERVS, & JOH. PAVLVS EBNERVS, Senatores similes antiquis Romanis, qui leguntur. Ii enim totam, ut sic loquamur, prudentiæ historiam, sive omnis historiæ prudentiam, capaci animo pridem complexi, in Larario, vel potius venerandæ Antiquitatis sacrario, Romanam Græcamq; historiam universam, auro, argento, ære, per sacros vultus signatam, per augusta Cæsarum ora, vivasq; Consulium effigies, nuspiam hiulca seculorum serie, expressam, possident. Ii improbo labore, assiduaq; diligentia, tempora semper somni arctiora, quam noctis, habentes, tantam Rei Veteris Monetæ notitiam sibi pararunt, ut non solum suis oculis convenienter dispositos Numos servent, sed & oculis, dignoscendi peritiæ adsuetis, tot innumeras ac tam diffimiles formas, veluti unius familiæ capita cognita habeant, de omnibus erudite differant, sensus abditos, occultasq; notas explicent, & quandam veluti Imperatorii populi lustrationem quotidie diribitores instituunt.

CAP. XXI.

Initur æstimatio Aureorum & Argenteorum Numorum, secundum valorem materiæ. Ærei Numi unde pretium accipiant. Exemplorum, qui Numos care emerunt.

Quod si ea, quæ in laudem Veteris Rei Numariæ stric-
tim innuimus potius, quam indicavimus, argu-
menta, aculeum in cujusquam animo relinquunt, inci-
tantq; , ut & ipse aliquas impensas in hanc rem facere,
aliquas ex subcisivis horis isti laudabili studio tribuere
destinaverit; jam is nobis porro docendus venit, quo pre-
tio numos veteres emere, quo selectu in iis discernendis
uti debeat. Neq; enim omnes ejusdem commatis sunt,
M fed

sed vehementer alii ab aliis differunt, & merito, ἡ πλαί-
 τωι τέχνη τις ἐστὶ πωλικὴ νομισμάτων, ut est apud Jul. Polluc.
 l. 9. Enimvero in Aureis, Argenteisq; veterum Romano-
 rum numis, præter pretium, quod ex ætate habent, Ma-
 teriæ quoq; æstimatio ineunda est: atq; notandum, *Au-
 reorum* singulos, æquare nostræ Monetæ Florenos sex,
 & paulo amplius; Denarium, valere decem cruciatos, sive,
 ut Itali loquuntur, decem Bajoccos, aut Julium unum.
 Apud Gassendum in vita Peireskii l. 2. æstimatur Dena-
 rius Romanus septem solidis, ac denariis Turonicis quin-
 que, cum triente ejusdem Turonici denarii; ut sic parum
 proffus excedat valorem Regalis Hispanici. Quinarius
 proinde valere dicitur tribus solidis, cum denariis Turo-
 nicis octo, ac denarii besse; Sestertius uno solido, cum
 denariis decem, ac triente denarii. *In Æreis* numismati-
 bus, quia materia ignobilior est, ideo hujus valor non
 curiose perquiritur: Sed hic alia sunt, ad quæ mentem in-
 tentam habere oportet. Nimirum, Æreum numisma no-
 bilitat, si sit probæ in suo genere magnitudinis, & cras-
 sitiei; si ad amissum rotundum; si literæ figuræq; ejus
 sint extantes; si vitio temporis nihil in illo erosum; si ex-
 timus circulus æqualiter oram ambiat, nec spatium va-
 cuum alicubi relinquat; si pars prorsa caput Principis ad-
 vivum, averfa rem memoria dignam exhibeat; si præ-
 clari cujusdam Artificis opus sit; si conferat ad supplen-
 dum ordinem Imperatorum; deniq; si suave viridanti
 ærugine molliter sit obductum. Has omnes excellentias
 si quod habet Numisma, affirmant Antiquarii, non pre-
 tium illud recipere aut æstimationem, nec vilius esse A-
 pellis, Echionis, Melanthii & Nicomachi, clarissimorum
 Pictorum, operibus, quorum, Plinii l. 35. H. N. c. 7. testi-
 monio, singulæ tabulæ oppidorum venibant opibus.
 Quare hi Numi genium solum & arbitrium possidentium
 sequun-

sequuntur, in se autem supra omnem sunt censuram. Refert Æneas Vicus l. i. c. 16. Andream Loredanum, Nobilem Venetum, Vitellii & Domitiani duos æreos numos redemisse LXXXV. Ducatis Venetis. Nec minus Præfulem quendam Romæ, Vitellii, Domitiani & Commodi tria ærea numismata, parasse Scutatis LXXXV. Eodem teste, non piguit Joh. Andream Averoldum, expendere aureos XXX. ut Commodi æreo numo, cum simulacro Martis Pacifici, itemq; Ducatos LX. ut alio, in quo Commodus Herculis schema induit, potiretur.

CAP. XXII.

Licet a Julio Cæsare usq; ad Heraclium seriem perpetuam Imperatorum in Numis ostendere. Regula, ex quibus de raritate & præstantia Numorum fieri potest iudicium. Othonis ærei numi an extent.

AMplius novisse debet Numorum veterum Emtor, qui ex iis rarius, qui frequentius occurrant: nam hoc si quis ignoret, frustra negotium suscipit, & male sibi consulit. Hic autem Æn. Vicus, & Savotus, laudabili opera, per singulos eundo Imperatores, exacte descripserunt, quæ cujusq; numismata crebro, quæ parum visenda sese offerant. Ad hos ergo adeundos, hortatores sumus. Simul autem in eorum gratiam, qui Gallicæ & Italicæ linguarum minus gnari sunt, ne queri possint, se deseri, pauca quædam, prout memoriæ sese offerent, dabimus præcepta, ad quæ attendere oportet: si prius præmonuerimus, a Julio Cæsare, usq; ad Heraclium, non interruptam texere nos posse numorum Imperatoriorum seriem, imprimis, si, qui diversorum sunt metallorum, ac differentis magnitudinis, inter se commisceantur; nam, solorum Aureorum, Argenteorum, aut Æreorum, & quidem ejusdem quantitatis, continuum ordinem dare, inter impossibilia referendum. Quo fundamento substrato, age notetur:

9157a

tetur : I. Illos Imperatorum *Æreos* (nam de his potissimum nunc nobis sermo est) *numos variores esse*, in quorum utraq; parte idem exhibetur Imperatoris vultus; aut cum una plures in prorsa parte occurrunt imagines. II. Quando pleriq; alicujus Imperatoris Numi ejus faciem, ad certum ac determinatum quasi latus respicientem, habent, tum æstimanda illorum est raritas, qui a recepta consuetudine discedunt. V. c. Claudius Imp. in numis majoribus pene omnibus, dextrorsum, in mediocribus sinistrorsum obtutum figit; quando ergo in horum aut illorum aliquo contrarium fit, id singulare est, & extraordinarium. III. Numi, qui habent simulacrorum (ceu vocantur) thoracidas, seu *τορομας*, anteferendi sunt iis, in quibus nuda comparent capita. IV. Numi, quorum, quæ ab una parte in orbem est inscriptio, plures una lineas absolvit, inter variores referuntur. Tales quoq; sunt ii, in quibus occurrit verbum *RESTITUIT*. V. Numi, in quibus vultus excavati sese offerunt, longe anteferendi sunt passim *ἔ* ubiq; obvius *τορευματίβυς*. Suetonius in Julio c. 47. hac voce utitur; & docet Salmasius, artem, quæ extantes figuras ostendebat, & extra corpus materie prominentes, Latinis *cælaturam* dictam, Græcos *τορευματικὴν* vocasse, & *τορευμα* opus eo modo cælatum. Hellenisticis vero figuras ejusmodi, quæ e plana superficie eminent, *ἐκπυκνωσικὴν γράψιδ* appellari, monuit Heinsius in Aristarcho pag. 504. VI. Numi, qui fabricam quandam; item ii primorum Imperatorum, qui in aversa parte, sine ulla figura, tantum verba, sive sermo redimita, sive nuda exhibent, minus frequenter sese offerunt. VII. Sunt quoq; variores posteriores Imperatorum *Votivi* illi, in quibus verbi *MVLT*. quod in aliis est, locum vox, *ET*, occupat: sic e. g. est in quodam Gallieni, *VOT. X. ET. XX.* nam, sæpissime occurrit, *VOTIS DECENNALIBVS MVLTI VICENNALIBVS*. VIII. Numi *Cæsarum*, id est, *Principum*

pum Spei Imperii regendi adhuc destinatorum; variores sunt, quam quos cuderunt potestate jam adepti. Noscendi autem ii se præbent, eo indicio, quod voci CÆSAR non additur altera AVGVSTVS, quodq; plerunq; Capita Cæsarum Coronis destituuntur. Atque hæc generatim notanda fuerint. Nunc, ut ad speciem fiat descensus, tenere oportet nomina Imperatorum, aut Invasorum Imperatoriæ potestatis, quorum pauciores extant numi. Sunt autem: *Tiberius. Vitellius. Avidius Cassius. Pertinax. Didius Julianus. Geta. Macrinus. Diadumenianus. Gordiani, Pater & Filius, vulgo Africani dicti. Balbinus & Pupienus. Æmilianus. Valerianus, Pater & Filius. Marcius. Severus Hostilianus.* (Savotus negat, uspiam extare Marcii, & Severi Hostiliani numos; quæ fortasse & Adolphi Occonis mens fuit: Goltzius tamen in thesauro rei Antiquariæ eos producit, cui fidem adhibuit Rupertus noster in Histor. Univ. Idem dissensus circa alios recurrit; sed nobis id semel notasse sufficit) *Herennius Etruscus. Valens Hostilianus. Perpenna Licinianus. Gallienus. XXX. Tyranni. Claudius. Quintillus. Aurelianus. Firmus. Saturninus. Florianus. Probus. Carus. Carinus. Numerianus. Sabinus. Diocletianus. Valerius Maximianus. Galerius Maximianus. Martinianus. Delmatius. Nepotianus. Jovianus. Procopius. Maximus. Victor. Marcianus. Anicius. Avitus. Leo I. Majorianus. Vibius Severus. Anthemius. Leo II. Glycerius. Julius Nepos. Basiliscus. Augustulus. Zeno. Focas. Heraclius.* His omnibus addere convenit *M. Salv. Othonis, & Pescennii Nigri* ex ære Numismata, quibus nulla sunt rariora: ac fuit, qui nobis serio affirmabat, Reginam CHRISTINAM mille Thalerorum pretium ei se soluturam recepisse, qui genuinum æreum Othonem (aurei enim & argentei utiq; extant) sibi sit oblaturus. Fertur & ejus dictum: Qui æreum Othonem repererit antiquum, philosophicum lapi-

M 3

dem

Patinus in
Histor. Rom.
Imperat. ex
Numismat.
p. 136.

918

dem repererit. Et vero Æneas Vicus l. i. c. 6. & c. 18. non concedit, ullum reperiri: quam opinionem etiam peculiari dissertatione defendit Vir Eruditus Thomas Chifletius, inscripsitque Leopoldo Wilhelmo Austriæ Archiduci. At Cl. Patinus in Introduct. in rem Numar. p. 228. Lutetiæ quinque vel sex æreos Othones ab Antiquariis asservari, contendit, quorum ingenuitatem nemo possit vocare in dubium. Quin & Chifletius postea, scripta ad Patinum Epistola, aliam sibi ac olim mentem esse, & apud CHRISTINAM Reginam extare verum æneum Othonem, cum antica inscriptione, CA. ΘΘΩΝΟC. ΚΑΙC. CΕΒΑΣΤΟΥ, & postica, ΚΑΙΣΑΡΕΑC, cum montis simulacro, fuit testatus.

CAP. XXIII.

Casu saepe Numi e terra non minima copia eruuntur. Numus in rapa, alius in tubere inventus. Male interdum agitur cum Numis. Æruginosis Numis quibus modis nitor restituatur. Remedium adversus æruginem. De Circulis corneis, quibus Numos aliqui circumdant.

EA, quæ de Raritate Numismatum sic differuimus, non diffitemur ita se habere, ut nequaquam constantis, & perpetuæ sint veritatis. Quis enim scit, annon eorum numerorum, quorum hodie extant paucissimi, si quod flumen aliquando alveum mutaverit, aut sicubi solo, quod nunc desertum jacet, cultura adhibebitur, olim futura sit major copia? Certe in his locum invenit illud Comici: *Dii immortales, quam saepe forte temere eveniunt, que non audeas optare!* Goltzius in epistola, qua Europæ Antiquarios alloquitur, quæq; tomo de Julio Cæsare subjuncta est, narrat, suo tempore, in agro Duacensi opulentissimum plurimorum aureorum antiquissimorumq; numismatum thesaurum effossum esse, e quibus ne unum quidem infra tempora

pora Vespasiani fuerit, sed omnia superiorum Imperatorum Cæsarumque, ad Vespasianum usque. Simile quid in aliis etiam imposterum evenire potest. Atque hic non silendus, mirus ille, & monstri similis casus, quem de veteri ænea statua Vicus l. i. c. 7. retulit, pro cuius Italicis verbis, ista Latina substituimus: Illustris, inquit, Martinus, Eques Hierosolymitanus, Venetiis degens, statuam propter mœnia Rhodi erutam, sed altero pede mancam, impetraverat, eam, cum ostendisset Amplissimo Præfuli Bembo, in mentem huic venit, asservare se domi suæ fragmen pedis, in agro Patavino effossum; quare, ut afferretur, præcepit. Hoc autem cum fuisset allatum, deprehendit is, esse hunc ipsum illum pedem, quo statua mutila erat & decurtata, itaq; eum Martino dono dedit; & ipsa hæc statua etiam nunc spectare volentibus Venetiis ostenditur. In Anni secundi Naturæ Curiosorum Miscellanea Johannes Francus, Medicus Ulmensis, retulit, se Anno 1683. ex Rapa exsecuisse, tenaciter ejus meditullio infixum & implantatum, *grossum imperialem A. 1645. cum effigie Augustiss. Ferdinandi III. Imperatoris percussum.* Cum ista legeremus, redibat in memoriam, jam olim Plinium lib. 19. Hist. Nat. c. 2. testatum esse, *Lartio Licinio Pratorio Viro, juræ reddenti in Hispania, Carthagine accidisse, ut, mordenti tuber, deprehensus intus Denarius primos dentes inflecteret.*

Cæterum, uti habent Numi Veteres læta sua fata, sic & interdum tristia experiuntur; atq; si quando in imperitorum manus incidunt, actum est, ilicet perierunt, & postquam longorum seculorum, incendiolorum, ruinarum, ac naufragiorum evaserunt injurias, ignorantia & stupiditati plebæjorum hominum deniq; , proh dolor! succumbunt. Busbequius epist. i. Legat. Turc. ægerime fert, fabrum quendam in Turcia ex antiquis numismatibus lebetes æneos confasse; sed, tale quid fortasse

tasse etiam nostri sæpe factitarunt , & adhuc hodie faciunt.

Quoniam in Numos, qui e terra effodiuntur, paulo ante incidimus, tales autem rubigine plerunq;, & situ ac mucore penitus obsiti sunt, non alienum videtur, docere, *qua ratione perpurgare illos conveniat.* Scilicet, quidam tartarum & alumen diluunt aqua, inq; ea per semihoram numos sordidatos & sordidos excoquunt, excoctos decem vel duodecim horarum spatio, in eadem aqua frige facta jam relinquendo, pulvere quercico coriariorum, vel furfure, aut contuso pumice, postmodum fricant & abstergunt. Alii, promptius remedium adhibent, & Aqua forti, sive Stygia, numos imbuunt. Sed hic periculum subest; nisi enim actutum in frigidam projiciantur, cum rubigine ipsum metallum consumitur. Imprimis autem cavendum, ne Braçteati numi, aut qui ex ære, cui stannum vel plumbum immixtum est, conflati sunt, aqua forti tingantur; nam hos quidem prorsus exedit. Porro, aliqui igni quoq; æruginosos numos committunt; aliqui etiam scalprum admovent; verum, magna & hic cautione opus, ne ignis aut ferrum ipsis figuris vitium inferant. Modi per ignem æruginosa repurgandi, meminit ipse Chrystomus t. I. op. hom. 22. de Simultate. *Τὰ ἰωθέντα τῶν σκευῶν ὁ μὲν ὕδατι μόνον ἀποτριβῶν, καὶ πολὺν ἀναλώσει χρόνον, πάσης οὖν ἀπαλλάξει τῆς κακίας ἐκείνης· ὁ δὲ εἰς χωνευτήριον ἐμβαλὼν ἐν βραχείᾳ καιρῷ ἢ πῆ φαιδρότερον τῶν νεοτεύκτων εὐθίως ἐργάσεται.* *Interpres vertit: Vasa æruginosa, si aqua solum ablueris, etsi multum temporis insumas, nequaquam omni vitio expurgabis: qui autem ea in conflatoriam immittit, brevi temporis momento splendidiora illa facit, quam quæ nova sunt & nupera* Idem repetit ejusdem Tomi homil. 59. quæ Catechesis ad Illuminandos inscribitur. Inter omnes istos modos, is, quem priore loco indicavimus, minimo obnoxius est incommodo. Sic



Sic quidem tollenda est rubigo semel contracta. *Ne autem eadem porro numos infestet*, illi malo Itali medicinam repererunt: liquore enim, ex sulphure, ærugine, & aceto composito, numos perlinendo, rubiginis vitium arcent. *Idem Itali Corneo circulo* numos eleganter ambiunt: quo, & venustatem iis conciliant, &, ne in terram prolapsi, aut ex mutuo attritu, lædantur, impediunt.

CAP. XXIV.

Artis est, veros Numos fecernere ab adulterinis. De duplici Numorum adulterinorum genere. Exempla Numorum confictorum ex ingenio.

HÆc habuimus, quæ de Veris Veterum Numis dicemus: nondum tamen officio nostro plane defuncti sumus. Ne enim vela orationis adhuc contrahamus, faciunt Impostores quidam, qui, novos pro antiquis supponendo, fucum imperitiis faciunt, ut, quod Plinius scite dixit, pluribus veris denariis emant adulterinum; malo tum privatim, tum etiam publice late patienti. Manus igitur oculatas habere oportet, quando nullos nunc habemus Zygoftatas, quales Julianus Imp. per singulas Civitates constituit, *qui pro sua fide atq; industria neq; fallerent, neq; fallerentur, in contentionibus de qualitate Solidorum ortis dirimendis*, l. 2. C. de pond. & aur. illat. Quia vero Marius Gratidianus, Plin. l. 33. c. 9. & Cic. 3. Off. testibus, cum primus artem reperisset Denarios probandi, multitudinè tam charus fuit, ut omnibus vicis statuas, & ad eas thus & cereos illi dicarent; tuam quoq; Bone Lector, gratiam promerebimur, si idem & nos præstamus, atque catum & callidum te reddimus, ne quis te facile decipiat

--- Τοῖς πονηροῖς χαλκίοις
χθίς τι ἢ πρῶτω κρηπίσι τῶ κακίῳ κέρματι.

N

Duo

fa-
ulo
fitu
do-
ui-
mi-
tos
fri-
um,
t &
qua
sub-
ru-
ca-
um
tin-
iqui
iam
pus,
odi
yfo-
ευων
con
Bega-
ter-
ltum
utem
diora
jus-
ndos
riore
odo.
Sic



*Duo facimus genera Adulterinorum Numorum: Quorum alterum
 mera peperit protervitas, quodq; nullum in Antiquitate habet
 prototypum: Alterum, ad exemplar verorum, est effictum. Prio-
 res dedere nobis homines, otio & ingenio suo abutentes,
 sumpta occasione ex clarorum virorum graviter dictis,
 aut factis; vel, quod tale quid convenire alicui videbatur.
 Nec una Lingua hæc fraus circumscribitur; sed per He-
 bræam, Græcam, Latinam, vagatur. Quod ad Hebræos
 numos attinet, ut verum fateamur, plerique omnes, qui
 circumferuntur, nobis suspecti sunt, & fidei sublestioris.
 Inter Græcorum pseudonumos referendi ii, in quibus *Plato*
 Alphabeti literas cribrat, & omnibus elabentibus, solum
 A. in cribro relinquitur. Item *Aristotelis* illi, in quorum
 averfa parte, Natura Dea additam habet vocem ΕΝΤΕΛΕ-
 ΧΕΙΑ. Quibus addenda numismata *Priami*, cum Trojano
 Equo; *Alcibiadis*, cum Cupidine, sagitta fulgur feriente;
Themistoclis, cum Victoria Navali; *Artemisia*, cum Mausoleo:
 & si quæ sunt alia ejus generis. E Latinis numis tanquam
 spurii notandi, ille *Hannibalis*, in quo telum adversus Ro-
 mam jaculatur, & inscriptum, ACCIPITE: cui occasionem
 fortasse dedit illud, quod de Fabio refert Florus l. 2. c. 6. ut
 par pari Hannibal Romanis retulisse monstraretur, quod
 eos remorderet. Item ille *Scipionis Africani*, ob CARTHA-
 GINEM SVBACTAM. *L. Æmilii*, ob SVBACTAM LI-
 GVRIAM. *C. Marii*, ob VICTORIAM CIMBRICAM.
Cinna, cum MARTE VLTORE. *Crassi*, ob DEVICTOS
 PARTHOS. *Ciceronis*, quem grata TRINACRIA PRO-
 SCRIPTO VERRE cudisse fingitur. Ejusdem notæ est
 ille *Cæsaris*, in cujus postica parte triplicatur litera V. aut ex-
 plicatio harum notarum exprimitur, ut puta, VENI VIDI
 VICI, cuius e Suetonii loco in Jul. c. 37. & ille *Augusti*, cum
 simbolo, FESTINA LENTE; &, *Agrippæ* generi, in quo
 is Neptuni Equos regit, additumque, ÆQVORIS HIC
 OMNI-*

OMNIPOTENS; quibus ambobus iterum occasionem dedit Suetonius in Aug. c. 17. & 25. Amplius huc pertinet ille *Neronis*,cujus pars averfa Petri Apostolorum Coryphæi vultum ostendit,cum inscriptione,PETRVS GALILÆVS: qualem Paulus IV. Caraffa, Pontifex, care redemisse dicitur, cum nimis credulus persuaderi sibi passus esset, Romæ in S. Sylvestri Sacello illum fuisse repertum, ac magna similitudine Sancti Apostoli faciem referre; de quo est apud Augustinum Dial. II.

CAP. XXV.

De impostura, quæ cum vere antiquis Numis committitur: Et quomodo evitare hanc conveniat. Quibus indiciis fraus plane novorum Numorum, si fusi illi sint, sese prodat. Qua ratione id fiat in iis, qui excuduntur.

Qui ad exemplar veterum effinguntur Numi, ratione, quare formarentur, non omnino omni carent. Quia enim quidam inter antiquos minus crebro sese offerunt, ideo Itali imprimis, ut quæstum faciant, pro veris, a se factos, emptoribus obtrudunt. Hoc igitur tenendum, non nisi vel ad ipsum Imperatorem, aut ad figuram vel inscriptionem habito respectu, rariorem numum, ab iis adulterari; minime vero istos, quorum aliunde copia datur: nam in illis pretium est, in his opera luderetur. Cæterum, ipsa fraus varie perficitur; modi autem præcipui sequentes sunt. Principio, cum duo habent ærea numismata, alternis partibus sana, & cariosa, lima omnem cariem ad dimidias superficiei abradunt, atque sic ferrumine ex argento confecto, alterius numi caput, cum alterius parte postica conglutinant, & horum numorum fidem male ambulanti, obscuritate cujusdam coloris, in circuitu postea obtegunt. Hunc dolum etsi primo intuitu non adeo magni momenti esse credere quis posset,



quippe quod saltem utrumq; numi latus antiqui est operis, omnium tamen existimari debet perniciosissimus. Est enim veritatis contortor, & summa inis miscendo, alterius sæpe Imperatoris honores, res gestas, annosq; Imperii, alteri assignat, scelere, quod publicitus vetari, Reipubl. Literariæ intererat, ne omnem veterem nobis turbet memoriam. Interim, qui cavere volet, ne decipiatur, tria hæc scripta habeat in animo: Scilicet, verset sedula manu Antiquorum monumenta, & quæ cuiq; Imperatorum conveniant, teneat memoriter. Porro, proportionem Figurarum aversæ, cum capite prorsæ partis, & imprimis quoq; magnitudines & formas literarum, inter se conferat. Tandem, oram numi leviter scabat; nam in ferruminatis mox commissuram argenteam se prodere deprehendet. Cum hac fraude affinitatem habet illa, qua, ærugine friatas & corrosas in numis figurarum partes, scalpro Impostores refingunt: aut, obliterated, in numo facile obvio, inscriptione, nomine Imperatoris, qui paucos reliquit, eundem notant. Adversus hanc astutiam, tum inæqualitatem & indecentem depressionem aliquarum figurarum bene perpendendo, tum vultus Imperatorum crebro numorum aspectu familiares sibi reddendo, munire sese oportet.

Atque sic Veteribus Numis larvam alienam detraximus. Nunc plane non vi, antiquorum nomen mentientes, in scenam educendi sunt. *li autem vel Funduntur, vel Feriuntur.* Nimirum, formato e pulvere ossorum combustorum, vel gypso, veteris numi typo, cum vacuæ formæ metallum liquefactum infusum est, numisma simile antiquis exprimitur. Quæ autem talia sunt, his indiciis a vero prototypo distinguuntur: I. In recens fufis metallum longe impurius, quam quo veteres ad numos cudendos usi, deprehenditur: purum enim æs, nec fluxum est, nec signate, quæ delicatiora in typis sunt, exprimit; quare, ut hoc fiat, alia mixtura opus est. II. Numus fufus levior est veteri percusso, tum quia æs purum illud

illud, quod mixtum est, pondere antecedit; tum quia fustum est, & igne adhuc rarefactum, majus quoque occupat spatium, quam cum frigore constipatur: quæ causa quoque est, cur fusi numi cufis tantulo sint minores. III. Fieri nulla arte aut diligentia potest, ut fusi numi accurate subtilitates figurarum, aut angulos literarum, prout in veterum cufis sunt, referant. Nam, si ungue quis persequatur vestium fixus, literarum ductus, aut alia ejusmodi, sentiet, in antiquis hæere ungues circa harum rerum summitates, & ab acutissimis angulis retardari: in fufis contraria sunt omnia, & cum paulo altius rimando proventus quis est, tanquam per politum & levigatum marmor, unguis effundi solet, transmittitque. IV. Habent plerumque fusi numi minuta quedam foramina, quasi acu efforata, certissimum suæ originis perhibentia testimonium; talia enim nunquam in veterum cufis numis deprehenduntur; & vehementer quoque differunt ab iis fossulis, quas æruginis vitium post se relinquit. V. Optimum Fusorum numorum argumentum ipsa extrema ora est, quam hi nunquam habent per omnia æqualem, & exactissime orbiculatam. Quia enim quædam, recens factis, (ea imprimis parte, ubi orificio typi respondet,) adhærentes superfluitates, lima removendæ, malleoq; emendandæ sunt; hinc evadit, ut nunquam in perfectam globentur rotunditatem, sed anomalam perpetuo fervent.

Qui in typis e chalybe sculptis feriuntur Numi Novi, ut a veteribus dignoscantur, majore opus est solertia, imprimis, si vetustate attritus numus, novæ impressioni præbuerit materiem. Atque hac arte nomen suum pervulgavit Johannes del Cavino Patavinus, cujus numismata sæpe multis imposuerunt, ut pro genuinis ea admitterent. In his autem cum studio consideranda Ærugo: etsi enim nihil intentatum relinquunt Itali, ut hanc quoque novis numis concilient, & in eum finem urina imbutos in terram quoque defodiunt, tamen magnum inter veterem,

926

quæ ætatem fert, & recentem æruginem, discrimen intercedit, nec ista illius verum colorem unquam referet. Adde, quod in nuper cufis quedam literarum figurarumq; scabrities notatur, signum evidens operis recentis. Porro, cum cura examinandi figurarum crines, oculi, aures, manus, vestium lacinia, & similia; in quarum rerum expressione Recentiores Significes, Antiquis longe succumbunt. Litera quoq; quas novi Magistri faciunt, pedes plurimum de industria bifurcos habent, qua nupera forma est, & priscis incognita. Deniq; etsi ridiculum hoc quibusdam videbitur, non ludimus tamen, sed serio opinamur, olfactu etiam, eum, qui sagax nasum habet, novos Numos a veteribus dignoscere posse. Hoc enim, ut ad credendum animum induceremus, Martialis e lib. 9. epigr. 60. iste versus in causa fuit:

Consuluit nares, an olerent æra Corinthon.

Et vero, Nobilissimus Petrus de la Valle, in literis hodieporicis fidem nobis facit, eos, qui, per invia & siticulosa Arabiae deserta, viatoribus duces sese præstant, non tantum ex foli aspectu, & herbarum, quas producit, colore, sed & glebas sagacissime olfaciendo, semitam sibi sapere. Dabimus ipsa verba: *Andauamo di giorno in giorno, cercando l'acqua, essendo guidata la Carouana da piloti praticchissimi: li quali sono huomini del paese, come quelli del mare a punto; fanno questo mestiere, non solo di condur Carouane, ma anche persone particolari, quando bisogna, e portar lettere inanzi & indietro; e fanno tutti i luoghi a mente, le acque, le strade diuerse, piu corte e piu lunghe, e con offeruar la notte le stelle, e'l giorno certi loro contrasegni nel terreno, di piu alto, o piu basso, del colore, dell' herbe, che produce, e, quello che piu mi fece marauigliare, dell' odore, ritrouano benissimo tutte le strade, che vogliono.* Quod superest, iterum monemus, qui Veterem emittat Numum, Veterum etiam imitetur soler-

solertiam, illorumq; (de quo Tertullianus lib. de poenitentia c. 6. testimonium perhibuit) exemplo, *prius examinet, ne scalptus, neve rasus, ne adulter.*

Sed hic, postquam Differtationis modus impletus est, manum de tabula, vel potius abaco, referimus. Tu, Have, BONE LECTOR, supremoq; Vale, &

I NVNC, ARGENTVM, ET MARMOR
VETVS, ÆRAQVE, ET ARTES,
SVSPICE.

Horat. lib. 1.
ep. 6.

DEO GLORIA.



EHI-

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.
Democratia, est optima Reipublica Formarum.

II.
Eam maxime refert Respublica Argentoratensis.

III.
Et quidem ordinatione tam eleganti, ut aequae pulchra vix unquam extiterit, melior excogitari nequeat.

IV.
Nimis falsum est, quod Bodinus l. 6. de Republ. c. 4. temere scripsit, Argentinenses, caesa & prostrata Nobilitate, cum imperium populare invasissent, legem communibus suffragiis tulisse, ne quis summos in Civitate Magistratus adipisceretur, nisi a cerdonibus, aut coriariis, aut id genus sordidis opificibus, stirpem traxisset.

V.
Ejusdem commatis videtur, quod alius in literas retulit, illos, qui ad primarium Magistratum der Ammeister admitti ibi postulant, cogi, ut probent se ignobiles ab octo generationibus.

VI.
Turris, adjecta Cathedrali, in Argentoratensi Vrbe, Templo, regali mole Pyramidum est altior, pulchrior, utilior.

✻(○)✻

W.A.

826

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

